2

VITA
VENERABILIS PATRIS
ANTONII
A SANCTISSIMO SACRAMENTO ORDINIS FF. PRÆDICATORUM.

LIBRI DUO.

ACCESSIT LIBER TERTIUS DE PRÆSTANTIORIBUS EJUSDEM ANTONII DISCIPULIS.

Authore R. P. Fr. BRUNONE FARAUDY Sacræ Theologiæ Professore, ac Congregationis Sanctissimi Sacramenti Ordinis Prædicatorum ex-Vicario Generali.



AVENIONE,

Typis ANTONII IGNATII FEZ, in Vico Bancasse.

M. DCC. LVI.

CUM SUPERIORUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

IMPRIMATUR,

SI videbitur Reverendissimo Patri Inquisitori.

BRUN VIC. GENERALIS.

IMPRIMATUR,

FR. J. B. MABIL Inquisitor totius Comitatûs Aven. Die 11. Septembris 1756.



REVERENDISSIMO PATRI

JOANNI THOMÆ BOXADORS

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI,

TOTIUSQUE ORDINIS FF. PRÆDICATORUM GENERALI MAGISTRO.

REVERENDISSIME PATER,



PTAVERAT *Reverendissimus bonæ memoriæ Antoninus Bremond Antecessor Vester, ut, venerabilis Patris Antonii à Sanctissimo Sacramento vita, jàm pridèm à diversis Authoribus gallico sermone conscriptâ latinitate donaretur, meque ad hoc opus, aptiori profectò demandandum, litteris Romæ datis delegit.*

Debitæ Optimo Patri, ac Benefactori reverentiæ magis, quàm virium mearum habitâ ratione, operi illicò manum admovi, REVERENDISSIME PATER, *illudque, auxiliante Deo, ad finem perductum, obtentâ debitâ facultate, publici juris feci.*

Illud idem Tibi, qui eidem Reverendissimo in Magistratus officio, maximo totius Ordinis bono, nuper successisti fuerat nuncupandum, tùm quià Paternitati Tuæ Reverendissimæ acceptissimum fore certò

considerem, tùm maximè, ut mei ergà te propensi animi, ac filialis observantiæ pignus existeret.

Pro singulari ergà Prædicatorum Ordinem benevolentiâ, congregàto Romæ generali Capitulo adesse voluit Benedictus decimus quartus, nedùm Supremâ Authoritate, pastorali omnium Ecclesiarum sollicitudine, ac ardentiori propagandæ Catholicæ fidei studio, verùm etiàm sacrâ eloquentiâ, ac omnigenâ eruditione Pontifex verè Maximus, tuam ad totius Ordinis Magisterium electionem (quæ maxima tua laus est) valdè probavit, totique Ordini vivâ voce gratulatus est, de Electi præclaris dotibus optimè conscius.

Assumptionis tuæ accepto nuncio universùs quà latè patet Prædicatorum Ordo effusissimo gaudio actutùm correptus est, quodque nihil mihi optatius contigerit, nequè jucundius, Deo benedixi, & lætatus sum.

Eo justior gaudendi ratio, REVERENDISSIME PATER, *quod Sancti Patris Dominici instituta profitentes exemplar habeant in te quod inspiciant, Patrem quem diligant, Doctorem quem audiant Ducem quem sequantur, Magistrum Generalem, inquàm, novâ Dignitate clarum, virtutibus, ac merito clariorem.*

Talem te probaverunt, talem te agnoverunt novissimi Romani Capituli Sapientissimi Patres, cùm te Divino prorsùs instinctu, ac consentientibus votis in Generalem Magistrum elegerunt; quod quidem præclarum munus ingentia merita postulabant.

Nequè hic natalium tuorum splendorem, generis claritatem, aut gloriosa in sæculo demandata negotia recenseam, REVERENDISSIME PATER; *modestiæ tuæ vim non levem intulerim, quod absit. Eo melius gloriàm trànseuntis Sæculi despexeris, quo majora promissa sunt humilem Christum sequentibus præmia.*

Ut te ad totius Ordinis decorem, ac tuæ Sanctissimi Sacramenti Congregationis incrementum quàm diutissimè servet Deus ferventiores fundet preces.

REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS TUÆ

in Conventu Vestro Avisanensi Calendis Julii 1756.

Humillimus servus Filiusque Obsequentissimus F. BRUNO FARAUDY Ordinis Prædicatorum.

POTENTISSIMÆ CŒLORUM, TERRARUMQUE REGINÆ BEATISSIMÆ
VIRGINI MARIÆ,

Quam in rurali Sacello inter vineas nuncupato, peculiari cultu Avisanenses venerantur.

VOTUM.

DILEXIT te Antonius dùm viveret, Beatissima Virgo, Antonium vicissim dilexisti, quæ pulchræ dilectionis Mater es. Ad te confugit in angustiis, ipsi fuisti propitia, quæ Mater es misericordiæ. Laudes tuas non tacuit, ipsum, obtentis à Deo gratiis, decorasti, quæ Virgo potens es.

Hujus vitæ historiam, in adjectâ Ecclesiæ tuæ intèr vineas Eremiticâ Domo, ingravescente ætate, conscriptam tibi committo. Novitiis nostris proderit ad salutem; ex sententiâ successerit, si benignè protexeris.

Ecclesiam tuam intèr vineas intrant justi, & Tabernaculum es in umbraculum diei ab æstu, & in absconsionem à turbine, & à pluviâ: intèr hujus vitæ procellas fluctuantes non obruuntur tempestate. Ingrediuntur peccatores, te tenente non corruunt, te protegente non metuunt.

Vineæ florentes dantes odorem suum, memoriam revocant tui, quæ integerrimâ Virginitate, ac suavissimo virtutum omnium odore Terram, Cœlumque perfudisti. Avisanenses dilexerunt te, Mater amabilis, posuerunt te custodem in vineis, ipsorum vineas, campos, olivata custodi. Sanctifica eos in nomine Unigeniti Filii tui. Tibi devotissimam hanc Prædicatorum familiam protege. Mihi misero peccatori viventi fave, adsis, adprecor, morienti.

Hæc scribebam die quartâ Junii florentibus Vineis.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

QUæ ſervus Dei Antonius, auxiliante Deo, geſſit in terris, ea profecto digna ſunt, quæ à ſcriptoribus immortalitati commendentur; non enim pium, ac tutum eſt, ait S. Gregorius Nazianzenus, pietate præſtantes viros ſilentio præterire.

Orat. in laud. Sancti Athanaſii.

Ex noſtris tres provinciam hanc potiſſimùm ſuſcepere. R. Pater Archangelus Gabriel anno 1682. R. Pater Carolus à ſancto Vincentio anno 1702. R. Pater Antonius Touron, elegantiori ſtylo, anno 1748.

Antonii vitæ hiſtoriam ab his gallico ſermone conſcriptam ipſe ſcriptorum minimus [Reverendiſſimo bonæ memoriæ Antonino Bremond totius Ordinis Generali Magiſtro litteris Romæ datis adhortante] latinitate donavi, ut quæ unius Galliæ terminis quodammodó circúmſcribitur per plures gentes poſſit pervehi, ac noſtris, cujuſlibet Provinciæ Novitiis prodeſſe.

Nèc fortaſſe ipſis regularem vitam profeſſis meus hic labor infructuoſus accidat, eò vel maximè, quod eiſdem adſtricti legibus ad eumdem finem collineare teneantur facienda ſcient, ut ſpero, qui facta legerint.

Prælaudatum Archangelum Gabriel omnimodâ quamvis virtute præclarum, ac Antonii in habendis miſſionibus individuum comitem, in omnibus non ſubſequor, nèc minutiſſima; quæ fusè recenſuit, exſcribam; quæ fuerint majora, ac certiora

breviori narratione complectar; id unum vereor; nè procul à rei dignitate remotus, tenui laudatione Antonii gloriam imminuam.

Ut verum fatear, Lector benevole, in conscribendo hujusce Operis libro tertio, qui de præstantioribus Antonii Discipulis inscribitur, me valdè habui præpeditum quód namquè de uno dixerim, de alio dicendum veniat; quodque eisdem fermè virtutibus claruerint, eademque plures obierint munia, multa fuerant aut reticenda, aut repetenda: reticere haud æquum, repetere molestum.

Hoc, ut minuerem impedimentum, referenda retuli, immutatis terminis, diversoque, quo potui usus circuitu; id cæterum sìn minùs egerim pertractandæ materiæ, vel etiàm imperitiæ nostræ tribuas velim.

Thorum [gallicè le Thor] de quo sæpe sæpiùs recurret sermo, Vindascini Comitatus, Pontificiæ Ditionis, non ampla quidem, sed copiosa Civitas est. Leucis tribus Avenione distat. Plures ibi numerantur Familiæ nobiliores. Percelebris, & abbundans Vallis Clausæ fons, quem sorgiam vocant, circumquaque alluit Civitatis mænia.

Cæterum, quod aliquos ex Civibus meis inter præstantiores Antonii discipulos retulerim æquus nemo mihi vitio vertet; quasi verò præpostero in patriam amore, aut turpi inanis gloriæ appetitu, ad eorum vitam conscribendam fuerim adductus. Sanctus Gregorius Nazianzenus Gorgoniæ sororis laudes prosecutus est. Sanctus Ambrosius Satyri fratris insignia merita commemorat. Sanctus Augustinus Monicæ matris vitam libro nono Con-

feſſionum teſtatam reliquit. Horum merita ſancti Patres, non propinquitatis, ſed ſanctimoniæ habitâ ratione, publicis Orationibus celebrarunt: eodem pari modo, Civium meorum nonnullos laudavi, non idcircò quod Cives mei fuerint, ſed quia laude digni inventi ſunt.

Ne obſcuritati, quæ maximum hiſtoriæ vitium eſt, locus fiat, Oppidorum nomina, ac Religioſorum virorum cognomina latinè non reddo. Vocibus biblicis quandóque utor, piis de rebus ſcribens. Tenuitatis meæ benè conſcius, in multis quàmvis offendiſſe me nihil dubitem, ſalvâ tamen veritate, quæ hiſtoriæ anima à Tullio dicitur, ſcripſiſſe me pro certo habe. Capitum omnium Seriem ultima Operis pagina miniſtrabit.

PROTESTATIO AUTHORIS.

Cum in conscribendâ famuli Dei Antonii, ejusque Discipulorum vitâ, nedùm plurima retulerim, quæ humanas vires excedere videntur, & miracula dijudicari, verùm etiam diversa præsagia futurorum, nècnon revelationes, illustrationes, & similia, norint omnes hujusmodi enarrationes lecturi, me non intendere eas accipi tanquàm ab Apostolicâ Sede examinatas, & approbatas, sed dumtaxat ut credendas eâ fide, quæ historiæ debetur humanæ. Quapropter fœlicis recordationis Urbani Papæ VIII. decreto inhærendo, ejusdemque declarationi habitæ anno 1631. protestor me in enarrandis Antonii, ejusdemque Discipulorum gestis, nolle eis arrogare famam, vèl opinionem Sanctitatis, nèc cultum in eos inducere, nondùm auditâ Ecclesiæ voce, ac Romani Pontificis oraculo. Sic profiteor, ut obedientissimus ejusdem Catholicæ Ecclesiæ filius.

Facultas Reverendissimi Patris Magistri Generalis.

Nos Fr. Antoninus Bremond sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis, & servus.

Tenore præsentium, nostrique auctoritate Officii potestatem facimus, & facultatem, quantùm in nobis est, impertimur Reverendo admodùm Patri Brunoni Faraudy sacræ Theologiæ Professori, àc Vicario Generali Congregationis nostræ Sanctissimi Sacramenti typis mandandi Librum quem latino idiomate composuit cuique titulus est *Antonii à Sanctissimo Sacramento Ordinis Prædicatorum, ejusque Discipulorum Vita* modò prius censorio judicio fuerit approbatus à duobus sacræ Theologiæ Professoribus Ordinis nostri, servatisque cæteris de jure servandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem his Officii nostri sigillo munitis subscripsimus Romæ in Conventu nostro S. Mariæ supèr Minervam Die 16. Februarii 1752.

Fr. ANTONINUS BREMOND, *Magister Ordinis.*

Registr. pag. 321.

Fr. Jacobus Thomas d'Astezan S. Theologiæ Professor, & Pro-Socius.

APPROBATIONES DOCTORUM ORDINIS.

VItam Venerabilis Patris Antonii à Sanctiſſimo Sacramento Ordinis FF. Prædicatorum, virtutum famâ, Apoſtolico zelo, arctiori pœnitentiâ, ac profligandæ Calvinianæ hæreſis præcipuo ſtudio, in toto Galliæ Regno percelebris, à Reverendo admodùm Patre Brunone Faraudy ſacræ Theologiæ Profeſſore, ac Congregationis noſtræ Exvicario Generali nitido, ac elegantiori ſtylo latinè conſcriptam, ego infrà ſcriptus attento, & quidem eò libentiori animo perlègi, quòd nedùm Novitiis noſtris, verùm etiam Miſſionariis, ac cujuſlibet inſtituti regularem vitam Profeſſis multùm, Deo benedicente, ſit profutura; quodquè nihil in eâ, diligenti adhibito examine, vèl à fide Catholicâ, vèl à bonis moribus alienum repererim, eam dignam judico quæ typis mandetur, ac publici juris fiat. Datum in noſtro Vaſionenſi Conventu, Die duodecimâ Aprilis anno 1756.

Fr. Marianus Rambaud Ordinis
FF. Prædicatorum Sacræ Theologiæ
Profeſſor, ac Sancti Officii Vicarius.

EGo infrà ſcriptus Librum cui titulus eſt *Antonii à Sanctiſſimo Sacramento Ordinis FF. Prædicatorum; ejuſque præſtantiorum Diſcipulorum Vita* ab admodùm Reverendo Patre Brunone Faraudy Congregationis Sanctiſſimi Sacramenti Exvicario Generali, nècnon ſacræ Theologiæ Profeſſore meritiſſimo, magnâ cùm diligentiâ, & dignitate elaboratum, ſummâ animi mei voluptate perlègi, cumque in eo nihil animadverſione dignum repererim, nihil quod Authoris ſufficientiam, ſagacitatem, & eloquentiam non demonſtret, ſed omnia fidei Catholicæ, bonis moribus, veritatique maximè conſona, ideò talem Librum in lucem èdi oportere, ut non modò Novitiis, ſed etiàm Profeſſis, imò, & omni Legenti proficiat, judicavi in Conventu noſtro Tricaſtino, Die quintâ Maii anno 1756.

Fr. Bruno Colomb. Sacræ Theologiæ
Profeſſor Ordinis FF. Prædicatorum.



VITA VENERABILIS PATRIS ANTONII A SANCTISSIMO SACRAMENTO ORDINIS FF. PRÆDICATORUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Ortus ejus, ac Parentes.



NTONIUS arctioris pœnitentiæ eximius cultor, Missionarius Apostolicus, Concionatorum sæculi decimi septimi clarissimum decus, augendæ pietatis, ac profligandæ Calvinianæ hæresis studiosissimus, Congregationis Sanctissimi Sacramenti Ordinis Prædicatorum, novique Ordinis Monialium Institutor, maximo Catholicæ Ecclesiæ bono, nècnon florentissimi Galliæ Regni ornamento, Parisiis anno à Virginis partu millesimo sexcentesimo primo, die vigesimâ tertiâ Februarii, Clemente Octavo summo Pontifice, & Henrico Magno Galliæ Rege natus, in Ecclesiâ

Arch. Gabr. tom. 1. p. 2.

Sancti Mederici lustralibus aquis postridiè ablutus est.

Ipsius Pater Antonius. *Le Quieu* Ambianensis, clarusque apud Senatum Parisiensem Causarum Patronus, intèr provectiores ejusdem professionis viros doctrinâ, eloquentiâ, morumque integritate, quantùmvis junior, numerabatur: eâ venustate perorabat, ut audientiam faceret, altumque silentium nullo negotio assequeretur.

Justitiæ tenax, & intactus ab avaritiæ sordibus, injusta sibi si causa videretur, Dei amorem hominum benevolentiæ, ac cœlestia bona temporalibus præferens, nemini, vel amico, aut generis nobilitate præclaro, ingentia quamvis sponderent præmia, patrocinabatur.

Quod noxarum amarè pœniteret, discusso somno, noctu surgens Psalmos, qui ad pœnitentiam pertinent, profluentibus lacrymis, in genua nixus recitabat. Sex tantummodò suprà viginti annos natus laterali morbo correptus Parisiis piissimè obiit; defuncti memoriam illius ætatis Poëtæ versibus celebrarunt. D. Hercules *de Harlay* Parisiensis Senatus primarius Præses junioris Causidici mortem vehementèr doluit, cumque fuisse Oratorum sui sæculi præstantiorem, pronunciavit.

Pia Antonii mater Margarita *le Caron* concepto fœtu abortum timens, Beatissimæ Virgini Lætiensi, in Picardiâ, totoque Galliæ Regno miraculis, ac populorum frequentiâ percelebri, nascituram prolem dicavit, ut qui Deiparam Virginem colere, ejusque cultum promovere maximè deberet imposterùm, eidem à matris utero consecraretur.

Defuncto viro plenam operibus bonis viduitatem egit: amissis oculis, adversum casum æquo animo tulit: temporalium rerum intuitu privata, Deum assiduè contemplabatur, eique internâ dilectione conjuncta est. Qui sanctitate præstaret filium, quotidianâ prece postulabat: res ei pro votis successit, suumque Antonium ab omnibus sanctum vocari, antèquam è vitâ migraret, lætantèr audivit.

CAPUT II.

Antonii pueri mores, & educatio.

HIsce parentibus ortus, qualis futurus esset reliquo tempore, ab ipsis ineuntis ætatis primordiis signa quædam præmonstrarunt: nunquàm visus est. Pactis aviditate molestus, illudque ad nutricis suggebat arbitrium. Quemadmodùm de B. Patriarchâ Dominico memoriæ proditum est, in cunis vesperi diligentèr, cautèque dispositus, ac indè à tutelari Angelo, ut piè creditum est, eductus, humi jacens, ac illæsus matutinis horis à Matre, ac nutrice sæpenumerò inventus est. Grandiusculo suboriebantur juges lacrymæ, afflictumque à mœrore animum vultus ipse repræsentabat, quo significatum voluere multi, arctiori pœnitentiæ puerum destinari.

Quòd à naturâ tristis non sim, inquit, *divino nutu hæc contigisse putaverim; haud dubiè voluit Deus, ut mea jamtùm, proximorumque peccata deflerem; quâ in re heu! Me segnem habui; his explendis partibus præ socordiâ defui.* Relat. part. 1.

Dilucente ratione sanctiori disciplinâ à pia matre educatus, ad Deum capit pleniori gradu festinare: Christianæ virtutes ætatem sequebantur; impellente nemine, ipse per se, quidquid devotionis esset amplexus nedum usu recepta pietatis officia exequebatur, verùm etiàm nova identidèm excogitabat: carissimæ Matri promptissimum præstabat obsequium: oratione potissimùm delectatus, à puerilibus nugis sempèr abhorruit.

Sevioris pœnitentiæ adhùc infantulus tirocinium posuit, arctamque æternæ salutis viam, alacri animo, ingressus est; septemnis namquè mundanas, etiàm modestiores maternæ domûs horrens delicias, aut nudo cubabat tabulato, aut non positis vestibus, lectum adibat; increpanti Matri, cautione hac utor, blandè respondit filius, ut ad matutinas preces citiùs recitandas paratus sim. In villam, ad animi relaxationem à fratre suo Henrico identidèm ductus, Virginem Theresiam imitatus, subducens se, urticis, quæ acrem

doloris sensum afferrent, corpus suum perfricabat in sui castigatione industrius.

Jàm tùm singulare ipsius erat divini verbi audiendi desiderium; sæpè ad sacras conciones deductus, iisdem fermè verbis reddebat, quæ à Concionatoribus audivisset, eorumque tùm gestus, tùm pronunciandi modum eâ gratiâ repræsentabat, ut audientibus non levem admirationem afferret, ac obeundo postmodùm prædicationis officio proludere videretur.

Mira fuit Antonii decennis in cibo, & potu temperantia; Ægyptiorum Monarchorum jejunium imitatus, semel in die, vespertinis horis, aquæ incocto pane, ac sale dumtaxàt condìto vescebatur; hoc victu integras quadragesimas transègit; adeò ut, jam indè absolutissimum Christianæ pœnitentiæ exemplar haberetur.

Quòd teneræ ætati, fluxæque corporis habitudini Antonii agendi modum tenera Mater adversari juremeritò crederet, filium gravitèr objurgatum, à rigidiori vivendi ratione avocare nitebatur; quod mortem ipse suam repræsentaret amarè conquesta est, ac imprudentiæ vitio arguit: cui ille, rogo te, timorem minuas, Mater amantissima, sine me, susceptâ pœnâ, peccata expiare.

Proh inversi mores! gravium criminum rei inertiâ diffluunt, in deliciis vitam ducunt, de pœnitentiâ non curant: Antonius insons, quod non læsit numen placare est sollicitus, susceptisque spontè cruciatibus, ad cœlestem patriam contendit.

CAPUT III.

In Parisiensi Academiâ humaniorum litterarum studio addicitur.

MAternæ domi ab optimo Magistro, ad duodecimum usquè ætatis annum prima litterarum rudimenta, ac grammaticam edoctus, Rhetoricæ, dein civili juri addictus est, ut scilicèt Patrem imitatus, Causidici postmodùm officio fungeretur.

Longiùs à maternâ domo aberat gymnasium litterarium;

quaproptèr, nè ampliſſimæ Civitatis vias, nèc ſine gravi incommodò, quotidiè diſcurrere Antonius cogeretur, viciniori eidem gymnaſio habitatione conductâ, ipſum, pactâ mercede, alendum mater tradidit Sacerdoti pietate, ac doctrinâ commendabili, quodque vehementiori teneretur addiſcendi deſiderio pius adoleſcens, non multùm laboravit, à cariſſimâ matre ſeparari.

Hic cæterùm ad ſtudia ſuaptè propenſus, maximæ hoc ſibi voluptati erat libros terere, Præceptorum lectiones avidis auribus auſcultari, eoſque de diverſis interrogare, adeò ut, maximam de ſe expectationem concitaret.

Verùm, quod omnes mirabantur, quodque raro contingat, pietatem à ſtudio non ſeparabat; quidquid ſcholaſticis exercitationibus ſupereſſet temporis, aut piis lectionibus, aut orationi impendebat: quæ ad Collegium, aut Eccleſiam duceret viam, tantummodò noverat: ab aſperiori victu, ſolitoque jejunandi more non receſſit: nunquàm mentitus eſt, nè joco quidèm.

Quas humanâ fragilitate admiſiſſet leves noxas, frequentiori Sacramenti Pœnitentiæ uſu (excalceato Carmelitâ, cujus ſalutaribus monitis multùm profecit aurem præbentè) abſtergere conabatur, ac ſacrâ Euchariſtiâ frequentèr refectus, guſtare jàm cœpit quoniàm ſuavis eſt Dominus; improborum conſuetudinem ſedulò devitans, nùnc Carthuſianos, nunc excalceatos Carmelitas adibat, ut Sanctorum exemplo, piiſque allocutionibus proficeret.

Antonii adoleſcentiam Condiſcipulorum contempſit nemo; exemplo quippè ipſis erat in verbo, in converſatione, in fide, in caſtitate: juvenilia deſideria fugiens, ſectabatur juſtitiam, & pacem.

CAPUT IV.

In civilis Juris ſtudium incumbit.

RHetoricis artibus perpolitus, ad civile Jus animum adjecit, eo conſilio, ut ad altiorem juriſprudentiæ gradum pertingeret; nèc nimiùm ſibi tribuebat; eggregio nam-

què à naturâ instructus ingenio, dicendique facultate præstans Patrem, ut Parisienses ominabantur, multùm longèque superasset, amplioresque forensis Curiæ dignitates fuisset assecutus, si institutum studiorum cursum, quo cœperat pede, tenuisset; at verò currenti ac propè diem Doctoris laureâ donando, moram Deus intulit.

Auditâ in sancti Eustachii Sacrâ Æde, de ultimo, ac tremendo Dei judicio publicâ concione; infœlicissimo concubinarii cujuspiam casu perterritus, àc in publicum pervulgatâ junioris Novitii Ordinis Prædicatorum prætiosâ morte permotus, blandientem mundum despiciens, religiosam vitam inire, ac cœlestis Regni gloriam perquirere constituit; nequè verò eum elegerat Deus, ut litigantium causas deffenderet, verùm, ut ipsius gloriam concionando procuraret, peccatores ad meliorem frugem revocaret, eisque, qui in errorum tenebris sedent, veræ fidei lumen afferret.

CAPUT V.

Maternam Domum repetit.

EX Parisiensi Academiâ ad propria cum rediisset, ob morum suavitatem, quodquè uberes ex litterarum studio fructus retulisset, à carissimâ Matre per amantèr exceptus est.

Ipse verò ex auditâ, ut prædictum est, concione, Dei judicia pertimescens, ac de æternâ acquirendâ salute unicè sollicitus, Reverendissimi Patri Joanni Baptistæ *Carré* Ordinis Prædicatorum, in Regiâ civitate, pietate ac doctrinâ percelebri ac in salutis viâ Ductori peritissimo, admissas à puero culpas confessus est.

Tùm deposito, ut præ humilitate affirmabat, gravium peccatorum onere, in fiduciam timores conversi sunt, ac ardentiora acquirendæ salutis desideria primis successere: mundum, cui nuncium mittere cogitabat ut carcerem, regularem statum, cui adscribi peroptabat ut Paradisum habebat: tùm cognitâ transeuntis sæculi vanitate, illâ, quam mundus dare non potest pace, ac spirituali gaudio, quod omne

omne desiderium superat, perfrui plenissimè cœpit, Deique misericordiam admiratus, ipsi gratias egit ex animo.

Maternæ domi per annum commoratus, noctes ipsas immorabatur in precibus, ac singulis diebus Sabbati solo esuriem pane & aquâ sitim, summâ cum parsimoniâ sedabat; austeriori jejunio, cæterisque corporis afflictationibus hanc adjunxisse narrant, qui de ejus vitâ primitùs scripserunt.

Sæviente Parisiis hyeme, Antonius, quàmvis à naturâ prætèr modum alsius, ac imbecillo corpore, ad ignem nedùm non veniebat, ut calefieret, verùm etiam supèr nudum asserem seminudus ipsâ nocte cubabat, adeò ut frigoris acerbitate, matutinis horis planè confectus videretur. Tùnc susceptos à Christo Domino, hominum causâ, cruciatus, ac divini amoris flammâ succensus, algoris aculeos lætissimè perferebat.

Hoc eodem anno, sacro Paschatis die, cùm in solitâ cœlestium contemplatione multùm profecisset, ampliori Orationis dono à miserante Deo affectus, terrestria magis, magisquè cœpit fastidire, ac Carthusianorum, vèl etiàm excalceatorum Carmelitarum ut institutum amplecteretur, ipsi venit in mentem. Solitudinis gaudens silentio, atque pace, Sanctum Brunonem, qui ab hominum convictu planè remotus, apud asperrimos Carthusiæ montes vitam angelicè peregerat cœpit invocare, Sanctissimæ Virgini Thereziæ, quam singularem sibi Patronam elegerat, cujusque virilem animum, in arduis constantiam, ac ardentissimum zelum postmodùm est imitatus, ferventiores preces adhibuit, ut superno illustratus lumine, viam, in quâ ambularet, edoceretur.

CAPUT VI.

Prædicatorum Ordini nomen dat.

HUmiles servi sui preces exaudivit Deus. Qui mundo major esse jàm cœperat, quique nullâ sæculi cupiditate tardaretur, habito cum prælaudato Joanne Baptistâ *Carré*, de mundi vanitate colloquio, ac Prædicatorum Ordinis austeritates edoctus (harum enarrationem hilari vultu

audiebat) ut æternam animæ ſalutem in tuto poneret, eidem Ordini nomen dare ſtatutum habuit in animo, àc deliberatum.

Extat Pariſiis in vico Sancti Honorati eorumdem Prædicatorum Conventus, pietate, eruditione, ac regulari obſervantia commendabilis : ibi Dominicanæ adſcribi familiæ à R. Patre *Giraldel* ejuſdem Domus Priore, ac poſtmodùm Congregationis Sancti Ludovici Vicario Generali, enixè petiit : ibi variè explorato adoleſcentis animo, ſacræ Religionis habitum à prædicto Joanne Baptiſtâ *Carré* Novitiorum Magiſtro, ingenti mentis alacritate ſuſcepit anno 1622. die decima ſexta Auguſti.

Par fuit tùnc utrinque lætitia : Joannes Baptiſta ſuo Ordini Antonium aggregare; Antonius verò ſeſe totum divino cultui devovere ſummoperè gaviſus eſt.

Mox Sancti Patris Dominici mores adeò fœlicitèr eſt aſſecutus, ut verè ſui ævi Dominicus poſtmodùm meruerit ab omnibus appellari. Novus miles, novam, ac ſpiritualem militiam inchoavit; cujus virtutes in materna Domo, nècnon in Pariſienſi Academiâ patuerant, cœperunt cæteris Novitiis, totique Religioſorum virorum cœtui fulgentioribus radiis collucere.

Dimiſſo ſeculari habitu, induit novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis, novumque adjecit acquirendæ ſanctitatis animi fervorem. Apes imitatus, quæ flores ad mel faciendum idoneos carpunt; ipſe quoque, quæ, aut fratrum exemplo, aut piâ lectione didiciſſet, ingenii ſui curâ, ac profectûs ſtudio, in unum ſaporem commutabat, quærebatque in aliis, quod imitando proficeret.

Obeundis exercitationum muneribus horarum erat obſervantiſſimus : ſingulari modeſtiâ, ac in minimis diligentiâ, perutili cæteris Novitiis erat exemplo, quodque ipſius Semita quaſi lux ſplendens procederet, & creſceret uſquè ad perfectam diem. Novitiorum Magiſter ipſum allocutus, Antonii nomine, inquit, nullum hactenùs habet Sanctum Ordo Prædicatorum, tu primus eſſe-velis? Id, ſi, Dei gratiâ, contigerit, nèc moleſtè feres, modeſtè reſpondit.

Nullo ab eodem Magiſtro regebatur negotio, flexilemque

præbebat ſe ad omne ejus imperium : gravatè nihil, cùm tædio nihil, nihil non libenti faciebat animo. Obedientiam adeò coluit, ut quemadmodùm de Sancto Raymundo memoriæ proditum eſt, totus Superiorum nutu penderet.

De dato cœlitùs novitio ſummoperè gaudebat ſanctiſſimæ Annunciationis Religioſorum virorum cœtus, omnium in ſe oculos, animumque vertebat, hæque indentidèm in hac ſanctiori Domo audiebantur voces, *Quis putas Novitius iſte erit ?*

CAPUT VII.

Solemnibus votis obligat ſe.

PEracto miro fervore regularis ſtatûs tirocinio, unàque Patrum omnium ſententiâ probatus, acceptante R. Patre Petro *Ranquét* Pariſienſis Conventus Priore, ſolemnia vota numcupavit anno 1623. die vigeſimâ quartâ Auguſti. Quanta porrò fuerit tùnc ſui cordis lætitia, haud facilè quis dixerit; triplici votorum nexu Deo illigatus glorioſâ libertate donatum, relictis omnibus Chriſtum ſecutus, prædivitem reputavit ſe : utilis ſanè commutatio, ait, pro eo qui ſupèr omnia eſt, omnia reliquiſſe ! Quodque Sancto Bernardo edocente, plus concupiſcentia mundi, quàm ſubſtantia noceat, nedùm poſſeſſiones, ſed etiam cupiditates, & eas maximè, reliquit, àc intèr reliquenda ſeipſum numerare oblitus non eſt. Acquirendæ perfectionis longius inter novo ſtudio, novâque mentis contentione arripuit, ſuique Ordinis leges ad mortem uſque, nullâ admiſſâ diſpenſatione, ſervare conſtituit.

Nèc ambitioſus honores, nèc avarus theſauros, nèc voluptarius delicias plùs appetat, quàm Antonius virtutem; & verò, inquit, in eò quem compoſuit ſpiritualium exercitiorum libro, ad benè vivendum caput eſt benè vivendi deſiderium; nequè enim belli Dux gloriam, nequè mercator divitias aſſequatur, niſi ille gloriam, iſte divitias deſideraverit; in hoc propterea laudatus eſt Daniel Propheta, quod eſſet vir deſideriorum.

Emissâ professione, quo promptiùs ad expetitæ perfectionis apicem pertingeret, nullaque eum præteriret proficiendi ratio, veterum Ægyptiorum Monachorum exemplum secutus, Diarium exorsus est, quod ad multos annos continuatum, post ejus obitum in propriis Commentariis repertum est. Quæcumque à Magistro, aut quovis alio audivisset recta consilia, quæcumque, aut legendo, aut meditando insedissent animo piæ cogitationes, à quibus potissimùm vitiis præcavere, quæque peccandi pericula effugere statuisset, in eodem Diario diligentissimè describuntur.

CAPUT VIII.

Philosophiæ, dein sacræ Theologiæ studet.

UT adjunctâ eximiæ pietati doctrinâ, obeundis statûs sui muniis aptior fieret, optimo Magistro edocente, Philosophicis, ac Theologicis disciplinis perdiscendis addictus est; ipse verò, quamvis primum locum daret pietati, eximio quo pollebat ingenio, non leves ad utramque scientiam habuit progressus.

Piissimi discipuli hûc collineabant studia, ut suæ ac proximorum saluti possent imposterùm prodesse, nèc scire desiderabat, eo tantùm fine ut sciret, quòd ex Sancto Bernardo culpanda curiositas est, nequè ut sciretur ipse, quòd turpis vanitas est; sed ut ædificaret, & charitas est, &, ut ædificaretur, & prudentia est.

Magistri, cui singularem habebat honorem, auditâ lectione eâ prudentiâ premebat argumenta ut nihil humilitati, aut modestiæ detraheret & disputatio: intricis, ut persæpè fit, non hærens, ipsum controversiæ nodum attingere nitebatur: confusè nihil, nihil clamosè quærebat, aut proponebat, quo respondens offenderetur; si quem verò, vel minimùm læsisse credat, ad ejus pedes prostratus jacebat, donèc facto signo, erigeretur; uno proponente tacebat, nè loquentem impediret.

Quod in malèvolam animam non intret sapientia nèc habitet in corpore subdito peccatis, vel minimam criminis labem sedulò devitans, Beatissimæ Mariæ Virgini, æterni lu-

minis Matri, filiale præſtabat obſequium; cellæ, ac ſolitudinis amicus, ultrò, citròque curſare nunquam viſus eſt: orationi lectio, lectioni ſuccedebat oratio: Sancti Hieronimi monito obſecutus, diù conſiderabat quid loquendum ſit, & adhùc tacens prævidebat, nè quid dixiſſe pœniteret. Silentium, quod unâ Patrum omnium Sententiâ, certior eſt proficiendi ratio, nedùm locis, ac temporibus ſtatutis per quàm accuratè ſervabat, verùm etiàm, obtentâ à Magiſtro loquendi veniâ, tantâ circumſpectione utebatur, ut, vel loquens, ſilentium ſervare videretur.

Hæc Chriſti Domini verba, omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii, cautum adeò Antonium effecerant, ut qui ipſius uſi fuerint conſuetudine, nè ſemel quidem, ſinè causâ fuiſſe locutum, affirmaverint.

O Prædicatorum Ordinem fœlicem, ſi Novitii omnes, ac ſtudentes Antonium fuerint imitati! refloreſcet profectò Dominicana Religio, fietque in Matrem filiorum lætantem.

CAPUT IX.

Sacerdotio initiatur.

PLacidâ in Pariſienſi Sanctiſſimæ Annunciationis Conventu perfruebatur pace ſervus Dei. Deo mente conjunctus, ac in perveſtigandâ virtute planè intentus, quæcumque ad regularem perfectionem conducerent aſſequi pro viribus nitebatur; at verò mentis tranquilitatem imparatus dolor affecutus eſt.

Monent Superiores, ut ad ſacrum Præsbiteratus Ordinem brevi provehendus, diligentem in hac re adhibeat præparationem: ipſi verò, quod tanto honore prorsùs indignum reputaret ſe, gravior ex monitu induit conſternatio; non levem quippè, quam requirat ſacerdotale munus ſanctimoniam attentiùs conſiderans, eo commotus eſt metu, ut Converſorum ſtatum ſacerdotio libentèr prætuliſſet. Tùm Sanctorum quorumdam exemplum ſecutus aut fugiat, aut abdat ſe, niſi prohibuiſſet conſcientia. Quem impellebat obedientia, repellebat

humilitas; egonè, inquit, ad reverenda ipsis Angelis ministeria miser accedam? Excelsus Rex gloriæ Christus, ipse verò servorum abjectissimus; victima sancta est, ipse peccator; immaculata hostia, ipse immundus sum: urget, orat, obsecrat, ut proposito sacerdotio immunis remaneat.

Verumtàmen quod divinæ obsistere voluntati vereatur, Prælatorum mandato obsecutus, ad sacrum Præsbiteratus ordinem in pervigilio Nativitatis Domini nostri Jesu Christi evectus, Dominicâ primâ post Octavam Epiphaniæ, præmissis spiritualibus exercitiis, ingentique mentis suavitate, sacerdotii sui primitias Divinæ obtulit Majestati, plurimisque gratiis à Beatissimâ Mariâ Virgine, perdurante sacrificio, donatus perhibetur.

Nèc ordinatus Præsbiter onus suum, ut plerique, alleviasse putavit, quodque, sancto Bernardo edocente, sanè melius sit salvari in humili statu fidelis populi, quàm in Cleri sublimitate, & deteriûs vivere, & districtiûs judicari, luculentissimum ipsi fuit nova dignitas ad ampliorem progressum incitamentum. Ad sacrum faciendum, novâ quotidiè, ac ferventiori sollicitudine præparàbat se, quodque terrerent eum noxæ vel leviores, & ad tantum Sacramentum suscipiendum retraherent conscientiam eam interrogabat diligentiùs, sollicitâ indagatione disquirebat, ac præmissâ sacrâ confessione, ab omni inquinamento carnis, & spiritûs emundabat sese: sacro peracto gratiarum actionem protrahebat, eâque perdurante, seraphico ardore succensus, ac resplendenti facie. sæpenumerò visus est.

CAPUT X.

Novitiis præficitur.

Const. Dist. 1. cap. 14.

BEnè, ac sapientèr instituerunt majores nostri, ut Priores, novitiis Magistrum diligentem præponant, qui cordis humilitatem eos doceat, & ubicumquè negligentèr se habuerint, verbo, vel signo, quantùm potest, eos studeat emendare.

Benè, inquàm, ac ſapientèr poſita hæc lex eſt; cujuſlibet namquè Religionis decus, & incrementum ex bonâ novitiorum inſtitutione maximè pendet; vetus conſuetudo, naturæ vim obtinet; impreſſa, rudi adoleſcentium animo pia documenta, uſque ad ſenectam proficiunt, & teneris infuſa mentibus virtutum ſemina, altiùs ſedent, ac creſcunt, ætate creſcente. Hæc attentiùs conſiderantes Pariſienſis Conventûs RR. Patres, Antonium, quantùmvis juniorem, obtentâ à Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro ſuper ætatem diſpenſatione, novitiorum inſtitutioni Pariſiis primùm præfecerunt; Dein verò anno videlicet 1631. Congregationis ſancti Ludovici Vicarius Generalis optimum factu judicavit, ſi ad Avenionenſe Prædicatorum Domicilium, ubi permulti recens induti aderant magnæ ſpei juvenes, mitteret, ibi, ut eodem Magiſtri novitiorum officio fungeretur. Recta profecto fuit ipſius mens, rectumque conſilium. Antonius namquè qui ab ipſo Religionis tirocinio, conſummatum aliquid, perfectumque attigerit, eſſetque vir, undè virtutum omnium exempla peti poſſent, Superioris expectationi non reſpondit modò, verùm etiam ſuperavit. Ingenua quâ pollebat indoles, morum candor eximius, præſtantiſſima humilitas, jugis animi fervor, judicii maturitas, ac prudentia non minùs amabilem, quàm admirabilem reddidere.

In hoc magni momenti obeundo munere, maxima Dei famuli virtus enituit: Novitios exemplo, viviſque adhortationibus ad omnem ſanctimoniam efformabat; Qui non conſtarent animo, quique variis, ut perſæpè fit, tentationibus vexarentur obfirmabat in propoſito; inſidiantis Demonis fraudes detegebat. Quo poſſent modo callidi hoſtis, conatus ſuperare docebat; ut, non ſibi, ſed Divinæ gratiæ niti deberent, monebat: Patriarcham Dominicum imitatus, ſi quem mœſtum, aut afflictum animadvertiſſet ſic ei totis viribus condolebat, ut dolorem, miro pietatis affectu deliniret.

A novitiis amari potiùs appetebat, quàm timeri. Urbanitate, & obſequio omnium ſibi animos demerebatur, quodque ad ejus vocem non ſolùm omnes admoverent, ſed animos adhiberent etiam, ac mentes, bono ipſorum affectu, ad majorem Dei gloriam appoſitè utebatur. Alienus ab irâ, eâ prudentiâ, ac manſuetudine pœnas imponebat, ut pœnam

amarent qui deliquiſſent. Vultum ejus miro fulgore, ex conſortio ſermonis Domini radiantem cùm vidiſſent maxima ipſis acceſſit ſanctioris Magiſtri exiſtimatio.

Ant. Tour. tom. 5. pag. 515.

Ex his, quos tùm Pariſiis, tùm Avenione educavit novitiis benè multi, pietate, doctrinâ, ac regulari obſervantiâ clariſſimi, Toloſanam, ac ſancti Ludovici Provincias potiſſimùm illuſtrarunt, alii verò, quos ſub Antonii diſciplinâ, uberes fructus collegerant, in longinquas partes reportarunt.

Hi maximè fuerunt Henricus *de Salieres*, Polonus, & Georgius *Herbeſtein* Germanus; hic, abjuratâ Lutheranâ hæreſi, ac relictâ Ferdinandi II. Imperatoris Aulâ, ſuſcepto Romæ Ordinis Prædicatorum habitu, Avenionem à Reverendiſſimo Nicolao Rodulpho Generali Magiſtro miſſus, tantùm Antonio duce profecit, ut Sacerdotio potitus, cum in Germaniam rediiſſet, natalium ſplendore minùs quàm virtutum exemplo omnibus præfulgere viſus eſt, anno 1642. à Ferdinando III. Imperatore ad Chriſtianiſſimum Galliæ Regem Ludovicum decimum tertium miſſus, ut cum eodem Rege de conſiliandâ inter Chriſtianos Principes pace tractaret; expletâ fæliciter legatione novam exiſtimationis ſignificationem ab eodem Imperatore retulit, ampliſſimique reditûs Archiepiſcopatu modeſtè recuſato, quadraginta & amplius nobiles adoleſcentes ad Ordinis habitum recepit, eoſque religioſis moribus imbuit. Magnam moriens reliquit vitæ ſanctioris famam. Ad Antonium redeo. De rectâ in Conventu Avenionenſi Novitiorum inſtitutione certior factus Reverendiſſimus Nicolaus Rodulphus, ſequentibus litteris anno 1638. die quintâ Novembris Antonio gratulatus eſt.

Plurimum, inquit, *gáviſus ſum de Patris Henrici Salieres. Profectu, & Patris Georgii Herbeſtein perfectione religioſâ, quos, Deo juvante, in ſuis Provinciis maximè profuturos ſpero, eorumque loco, alios, qui illorum veſtigia ſequentur tibi miſſurum me brevi confido, maximè conſpiciens, te in talibus delectari, in quibus credis non fruſtrà, ſed fructuosè laborare.*

Avenionem nondùm advenerat Dei famulus, cum reſplendenti facie, ac diademate caput redimitus Venerabili Sorori Mariæ *de Blondau* Tertii Ordinis noſtri, ac totâ Civitate virtutum famâ percelebri, per viſum præmonſtratus eſt.

CAPUT

CAPUT XI.

Retento Magiſtri Novitiorum Officio, Charitatis ſervit operibus.

AVenione annos quatuor commoratus, à R. Patre Conventûs Priore obtinuit, ut accuratè expletis muneris ſui partibus, quod reliquum fuerit temporis, charitatis ergà proximos tribueret operibus.

Tùm in carcere detentos amiciſſimis verbis conſolari, Noſocomia frequentare, cubilia ſternere, ſcopis pavimenta mundare, in lectulo infirmos decentèr collocare, fercula inferre eo ſtudio, eâque mentis alacritate ſatagebat, ut in ægrotantium minimo, Chriſtum agnoſcere, ac venerari teſtaretur.

Nequè verò corpora ſolùm, ſed animæ quoque ſollicitiori operâ curabantur; penè morituros ad peccatorum pœnitentiam, cæleſtisque Patriæ deſiderium excitabat, fœlicemque tranſitum piis orationibus precabatur; jam tùm, infracto ab laboribus animo, exceptâ fidelium ſacrâ confeſſione, eos ad ſectanda Chriſti veſtigia, & ad peccati deteſtationem, eo fervore, excitabat, ut permulti à laxiori vivendi ratione revocati ſint: ſuper ſacrum Antonii Tribunal ſedentes Angelos, ac ignitum radium ex ejus ore egredientem vir pietate inſignis non ſemèl conſpexit.

Beatiſſimæ Mariæ Virginis laudes, ejuſque ſacri Roſarii utilitates, inſolitâ hominum frequentiâ, ſingulis diebus Sabbati, eo mentis fervore recenſebat, ut permulti, ut eidem ſocietati adſcriberentur, certatim poſtularent: in eadem Avenionenſi Civitate Tertii Ordinis noſtri Sorores duas, ſigno crucis, brevique peractâ oratione, è gravi morbo liberaſſe perhibetur.

Tot charitatis officiis intentus ſervatis, vel etiam auctis corporis afflictationibus, duarum horarum ſpatium, ut maximè, antè noctem mediam ſomno tribuebat; decantatis verò matutinis precibus, in Eccleſia antè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, donèc illuceſſeret, genuflexus orabat, & hæc perpetua fuit Antonii, quoad vixit, agendi ratio. Inter hæc R. Conventûs Avenionenſis Prior prudentèr veritus, nè tot *Ant. Tour. tom. 5. p. 516.*

occupationes aut Magiſtri ſanitati nocerent, aut perfectam Novitiorum inſtitutionem impedirent, à verbi Dei præconio, necnon ab audiendis extraneorum confeſſionibus cùm revocaſſet Antonium, illicò paruit ſervus Dei, nec vel minimùm conqueſtus eſt. Hocque exemplo obedientiam victimis eſſe præferendam, quos efformabat Novitios luculentèr edocuit.

CAPUT XII.

Novam Sanctiſſimi Sacramenti Congregationem inſtituit.

VEnerabilis Patris Sebaſtiani Michaëlis operâ vigebat, nedùm in ampliſſimo Prædicatorum Avenionenſi Conventu, verum etiam in totâ ſancti Ludovici Congregatione (hæc poſtmodùm in Provinciam, quæ Tholoſana dicitur erecta eſt) regularis Obſervantia; at verò, Sacro Tridentino Concilio diſpenſante poſſeſſiones quaſdam, àc redditus admiſerant quòd quidem novum ſubſidium temporum calamitates, refrigeſcente multorum charitate, poſtulabant. Ut igitur primævam ſui Ordinis Obſervantiam planè reſtitueret, ac omnimodam paupertatem ab ipſo Patriarchâ Dominico, in primo Bononienſi Capitulo anno 1221. celebrato ſancitam Antonius profiteretur, utque, abdicatis temporalibus bonis, verbi Dei prædicationi, audiendiſque fidelium confeſſionibus, ipſe, ſuique liberiùs vacarent, nullaque eos à ſpirituali opere terrena cura impediret, Congregationem inſtituere decrevit, quæ poſſeſſiones nullas admitteret, redditusque nullos poſſideret, quodque, ſolo Deo conſcio, inierat Pariſiis conſilium, Avenione exequi aggreſſus eſt.

Divinitùs profectò injecta Antonio mens fuit; aliud namque ſpectavit nihil, quàm ut priſtino fervore renovato, refloreſcet Dominicani Ordinis decor ad Dei gloriam, & animarum ſalutem. Totaque hæc fuit inſtituenda Congregationis ratio.

Verùmtamen diffidens ſibi, cùmque nihil ritè, nihilque providenter debeant homines ſine Dei ope, & conſilio auſpicari, quo maturiùs in re tanti momenti procederet ad ferventiores preces jejunium, novaſque corporis afflictationes

adhibuit, Beatissimæ Mariæ Virginis, ac sanctorum Patris Dominici, & Caroli Borromæi auxilium imploravit, remque totam piorum hominum precationibus commendavit.

Intereà quid meditaretur Reverendissimum Nicolaum Rodulphum Generalem Magistrum aperto animo monuit, datisque litteris, ejus exquisivit consilium. Arch. Gabr. tom. 1. pag. 132.

Hic summoperè lætatus est, quodque sibi nihil esset antiquiùs, quàm Ordinis sui decus, & incrementum amantissimis verbis respondit Antonio *sicut oblatum ab Angelo volumen comedit Ezechielis Propheta, eo planè modo comedi litteras tuas, fili carissime, & factæ sunt in ore meo sicut mel dulce: olii pluscculùm cùm nactus fuero: pluribus verbis ad te rescribam; intereà confide, animo & spe.* Ant. Tour. tom. 5. pag. 517.

Cognitâ hac de re Antonii voluntate, veriti sunt primùm Conventus Avenionensis graviores Patres, timuit postmodùm prælaudatus Generalis Magister nè divideretur Ordo, nevè infringeretur capitis unitas, quod quidem sapientioribus ipsis grave malum jure meritò visum est.

CAPUT XIII.

Romam proficiscitur.

QUapropter, ut quam Reverendissimus animo conceperat suspicionem faciliùs abstergeret, anno 1635. die vigesimâ sextâ Aprilis, acceptâ antè sacræ Ædis Altare majus, à R. Patre Josepho *Tillac* Avenionensis Conventus Vicario benedictione, ac recitato alternis vicibus itinerario, nècnon obtentâ ab Excellentissimo Friderico Sforzia Avenionensi Prolegato habendarum Missionum facultate, Romam profectus est, spontè dimisso, quod sibi à prædicto Vicario religiosâ charitate datum fuerat viatico; nulla namqué temporalis vitæ subsidia secum deferre, emendicato pane victitare, ac pedibus iter agere, tunc primùm constituit, ac à suscepto consilio, per totam vitam, vel ætate longævus, non recessit.

Ad Oppidum *de Merindol* ad Druentiam flumen hac ipsâ die cum pervenisset, quòd nemo hospitio statim receperit, amicæ paupertatis primitias lætantèr expertus est; ibi Apostolicâ auctoritate munitus, ac annuente Parocho, habitâ pos-

tridiè matutinis horis ad populum concione, magna incolis de viri modestiâ, sacrâ eloquentiâ, ac Apostolico zelo subiit admiratio, quodque virtus de illo exiret, ipsum tangere, vel etiam ipsius vestes discerpere omnis turba quærebat, tùm rogantibus ne discederet ab eis modestè respondit. *Quia & aliis Civitatibus oportet me evangelisare Regnum Dei.*

Antonium abirè ægrè passi sunt cives *de Merindol*, eumque longiùs ab Oppido, honoris gratiâ prosecuti sunt: Quæ inibi mira per servum suum operatus est Deus, suo loco referam. Instituti sui memor, quodque procurandæ salutis animarum studio vehementiùs ageretur, in locis singulis, quæ sibi ex itinere obviam darent, de divinis rebus, ad populum dicebat, magno auditorum fructu.

Aquis-sextiis, & San-Maximino transiens, Oppidum *de Courens* rectò profectus est, ibique sacram Ædem, ut de more solebat, statim ingressus, & antè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum prostratus, tanto charitatis igne succensus est, ut proximorum æternam salutem numquam magis desideraverit; tùm habito de lethalis peccati gravitate sermone, adeò commoti sunt auditores, ut nedùm in uberes lacrymas erumperent, verùm etiam, solutâ concione, eum omnes, præcedente Magistratu, convenerint, ut gratias agerent, ipsisque benè precaretur; hos tamen populares applausus, ac delatos sibi honores, eâ animi modestiâ, ac humilitate respuebat servus Dei, ut pudore suffusus interno animi mœrore torqueretur.

Quam cœperat insistens viam, visitato devotionis ergò, nostræ Dominæ Gratiarum Sacello in totâ Gallo-Provinciâ peregrinorum frequentiâ, ac miraculorum gloriâ percelebri, Massiliam profectus, à nostris peramantèr, ut assolet, exceptus est; ibi tribus junioribus viduis pietate præstantibus, quæque ad altiorem sanctitatis gradum nitebantur, earum ope instituendum fore novum sanctimonialium ordinem, quibus venerabile Eucharistiæ Sacramentum diù noctùque adorandi cura incumberet, prænunciavit: juxtà propheticum
Isa. c. 43. dictum *cùm pertransieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te*, propè Oppidum *de Vidaubam*, Torrentem redundantibus aquis, miraculo pertransiisse pius San-Maximinensis Præsbyter, itineris socius scripto testatus est.

CAPUT XIV.

Romam advenit.

CEleritate usus, mentisque recollectione servatâ, eodem anno 1635. die verò decimâ septimâ Junii Dominicâ infra Octavam Corporis Christi Romam ut advenerit, Reverendissimum Nicolaum Rodulphum Generalem Magistrum de fugiendâ Ordinis divisione, capitisque unitate servandâ fecit certiorem; ipsi omnem sustulit dubitationem, ipsiusque mentem præviâ anxietate liberavit.

Venientem filium peramantèr amplexus est Pater optimus; ipso coram, ac adstantibus Patribus à consiliis quod meditaretur operis causas disertè prosecutus est Antonius, utilitates recensuit, ad interrogata respondit, propositas difficultates, eâ judicii vi, eâque prudentiâ solvit, ut ejus omnes probaverint consilium de fœlici successu quodammodò certiores. Cæterum quanti apud Reverendissimum esset servus Dei, tùnc maximè apparuit; in ipsâ Urbe ipsi obtulit Domum, quæ instituendæ Congregationis caput esset, & origo; at verò quòd Calviniana pestis in Galliâ potissimum grassaretur, ac Missionariis, qui Catholicam fidem tuerentur, magis indigeret, de sententiâ discessit; ipsi interim in probationis Domo cellam assignavit, ut Novitios, qui in Minervitano Conventu permulti tùnc aderant, ad Dei amorem, & regularem observantiam, tùm exemplo, tùm ferventiori adhortatione inflammaret. Ant. Tour. tom. 5. p. 516.

Tot benevolentiæ, ac existimationis argumentis hanc gratiam addidit idem Reverendissimus, ut ad Urbanum eo nomine Octavum ipsemet duceret. Summoperè lætatus est Summus Pontifex, servum Dei comitèr admodùm excepit, ipsius ardens regularis Observantiæ studium est admiratus, instituendam propè diem in suo Vindascino Comitatu novam Congregationem, vivæ vocis Oraculo approbavit, eisque, qui in eadem Congregatione Deo famularentur, ac animarum procurandæ saluti impensiùs vacarent Apostolicam benedictionem impertitus est. Incredibilem hæc Antonio lætitiam at-

tulere, hæc ipſi ad proſequendum, quod inierat conſilium dedere animos.

Viſitatis Romanis Sacrariis, quæ Apoſtolorum Princeps, totque Martyres voluntariæ paſſionis triumpho conſecrarunt, perantiqua ſancti Xiſti, ſanctæque Sabinæ Cœnobia, quæ beatiſſimus Patriarcha Dominicus præſentiâ ſuâ cohoneſtaverat, adiit, ibique miraculi illius memor, quo, ſuppeditatis, Angelorum miniſterio, panibus, pauperes fratres fuerant enutriti ſummoperè gaviſus eſt, novumque pauperpatis, quo ferebatur, amor accepit incrementum.

Inter hæc gravi, ac periculoſo morbo correptus, implorata ſancti Philippi Nerii ope, factoque voto de celebrandâ ad ejus Altare Miſsâ intrà paucos dies, mirantibus fratribus, integerrimæ ſanitati reſtitutus eſt.

At verò (quod Antonio erat antiquiùs) Dominicâ primâ Octobris anni prædicti, inſtituendæ Congregationis, quæ abdicatis temporalibus bonis ſacris Miſſionibus, unique animarum, verbi Dei præconio, procurandæ ſaluti incumberet. (Qui profecto præcipuus eſt Ordinis Prædicatorum finis) patentibus litteris Reverendiſſimus Ordinis Magiſter fecit poteſtatem, utque Avenionem redux Antonius, nullâ interpoſitâ morâ, cogitata perficeret vehementèr eſt adhortatus, conſiliis ad fructuosè regendum idoneis inſtruxit, ut ſub ipſius immediato regimine foveretur, vigeretque inſtituenda Congregatio ſtatuit, eodemque Reverendiſſimo ſuadente, electionibus, gradibus, ac certo Conventui affiliationibus Antonius renunciavit.

Româ diſceſſurus, niſi conſtaret animo conſilium profectò, voluntatemque mutaſſet; R. Pater Dominicus de Marinis ſiquidem, Conventûs ſanctæ Mariæ ſuper Minervam Prior, ob ſingularem eruditionem; ac virtutum præſtantiam, ad Avenionenſem Archiepiſcopatum poſteà evectus, Antonii ſanctitate permotus, quodque toti urbi maximè profuturum judicaret, eum Romæ detinere ſeriò cogitavit: Quos prætereà in minervitanâ probationis domo, quatuor menſium ſpatio, inſtituerat, quoſque morum ſuavitate, piiſque allocutionibus ſibi arctius devinxerat Novitii, ut Romæ remaneret, aut abeuntem ſequerentur ad unum omnes expoſtularunt: Amabant Diſcipuli, redamabat Magiſter; Antonio adhærere lu-

crum putabant hi, à cariſſimis filiis ſeparari amantiſſimo Patri perdifficile. Pia tùnc cùm fieret contentio, ſuperveniens Reverendiſſimus uni Fr. Dominico *Palaviciny* Volterano Antonium ſequendi, cæteris remanentibus, copiam fecit.

CAPUT XV.

Lauretum religionis causâ proficiſcitur.

Rebus ità compoſitis, obtentâ à Reverendiſſimo abeundi veniâ, ipſique de collatis beneficiis gratulatus, ad aſciſcendam Beatiſſimæ Mariæ Virginis opem, ſacram Lauretanam Domum, ut jamdudùm erat in votis, ſæviente hyeme, magnoſque labores perpeſſus, rectò adiit, ibique conſolationis, & gaudii Oceano, ut ità loquar, vix abſorptus non eſt.

Sacram Ædem ſcopis mundandi obtento permiſſu; id peculiaris beneficii loco poſuit, maximoque honori tribuit; reſpiciens autem qui mittebant munera ſua in Gazophilacium divites ipſe ab omni pecuniâ inops ſchedulam miſit, quæ perpetuam ſui, Virgini Matri conſecrationem ſcripto continebat; *Nihil te*, inquit, *quod poſſim rependere dignum invenio, Mater amantiſſima, do tibi, quod unum habeo, meipſum; munus hoc quantulum id cumque eſt nè dedigneris.* Ibi biduum commoratus, ſemel, & iterùm, inexplicabili mentis ſuavitate, in ejuſdem B. Virginis ſacra Æde Miſſæ ſacrificium obtulit, plurimiſque gratiis donatus eſt.

Româ diſceſſuro mandaverat Reverendiſſimus, ut, peractâ Laurentanâ peregrinatione, prima Seraphici Patris Franciſci Cœnobia viſitaret; quodquè loca Sanctorum veſtigiis conſpicua, libentèr frequentaret ſervus Deì, fuit hæc ipſi gratiſſima commendatio: Quapropter per antiquam Domunculam *de Rivotorto*, ut vocant Itali, vehementèr admiratus, ſpirituali gaudio repletus eſt. Ibi namquè Beatiſſimus Patriarcha Franciſcus, ac Socii, abdicatis temporalibus bonis, ac vitæ commodis, omnimodam paupertatem tanto mentis favore coluerant ab initio, ut aſperrimo victu utentes, nudos aſſeres, aut nudam humum pro cubili, ac ergaſtulum, quod hominem vix caperet, haberent pro cubiculo: ſecum hæc

animo reputans *quidni*, inquit, *ipſe hæc præclarè geſta, Deo fretus aggrediar?*

Conventum *de Burliano* ubi prima Franciſcanorum, qui poſteà Obſervantes dicti ſunt cæpit Reformatio, pauperrimum ſanctæ Claræ Monaſterium, nècnon Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorum, quam Portiunculam vocant, nèc obeundo præterivit. Aſſiſium cum veniſſet ſanctiſſimum Patriarcham Franciſcum Evangelicæ paupertatis amicum, ac humanæ gloriæ contemptorem eggregium exoravit, ac ſuper Altare, quod ſacras viri reliquias continet, ſpirituali gaudio repletus, ſacrum fecit.

CAPUT XVI.

Bononiæ è gravi morbo periclitatur.

Ant. Tour. tom. 5. p. 518.

LOngiori itinere exhauſtus, tertianâ febri, quam in Piſaurienſi Civitate contraxerat, Bononiæ affectus eſt; nec tamèn ferè quidquam de aſſiduitate precandi, ac de conſueta victus aſperitate diminuit; ægritudinem cautè diſſimulabat, nè ſibi remedia adhiberentur, aut ſolatia.

Verumtàmen celeberrimi Bononienſis Conventus Religioſi viri, eximiæ ſancti Patris Dominici non charitatis minùs, quàm Reliquiarum hæredes, attentiùs adnotato Antonii præſenti ſtatu, Medicis adhibitis, diligentiſſimè curarunt de viri merito certiores.

Dies duodecim Bononiæ commoratus, cum febris acceſſiones conquieviſſent, ad ſepulchrum B. Patriachæ Dominici convolabat, ibique pro ſanctâ Matre Ecleſiâ, ejuſquè ſupremo Paſtore, ibi pro Prædicatorum Ordinis incremento, ejusque Generali Magiſtro ferventiores preces fundebat; ut Galliæ Regnum, à Calvinianâ hæreſi expurgatum, Catholicæ fidei reſtitueretur deprecatus eſt; ibi ipſius mentis fervor vehementer eſt accenſus, & evangelicæ paupertatis amor novum accepit incrementum.

Qui Pariſiis ſpiritum conceperat perfectionis, & gratiæ, ad difficillima quæque pro Chriſto ſubeunda certamina Bononiæ accenſus eſt; exin Patriarcham Dominicum, præclarum

rum Missionarium exemplar, ardentiori studio imitari, moresque exprimere constituit.

Perfectæ charitatis officiis, piâque Bononiensium fratrum sedulitate, redintegratâ, ut existimavit, sanitate cum in viam rediisset, in febrem postridiè recidit; Tertiana hæc primùm, in continuam postmodùm conversa est.

A viro nobili, cujus præelegantem villam casu offenderat, contemptìm ablegatus, stabulum à pecudibus vacuum, incumbente nocte, semi-animis ingressus est: Tunc nascenti Unigenito Dei Filio quodammodò similis, inexplicabili gaudio repletus est, ac intèr eventus prosperos hunc habuit desiderabiliorem *Naturæ*, inquit, *an gratiæ tribuendum, nescio: tàm benè mihi hac nocte fuit, ut numquàm magis: ipsam duxi in deliciis: tugurium Palatii loco fuit mihi: in præsepio, suppositis paleis, decumbens, febrique æstuans plumeo strato incubare videbar mihi.* Rel. parte 2.

Ægritudinis molestias, febris æstus, ac sitis ardorem profectò expertus est, at verò *Ubi cor ardet flammam membra non sentiunt.* Maxi. hom. 2. de S. Laur.

Postridiè, cum ire pergeret, viribus adeò defecit, ut moriatur profectò, nisi Plaustrarius quidam illàc transiens, misericordiâ commotus Carro, Scabris lapidibus onusto (quod supplicii potiùs causa fuit, quàm solatii) impositum, Mutinam pervehisset, ubi, sæviente febri, proximè ad mortem accessit.

De viri periculo admonitus Reverendissimus Nicolaus Rodulphus Generalis Magister, ejus vicem vehementèr doluit, litterisque amantissimis, datis Romæ die duodecimâ Decembris anno 1635, non levem ægroto attulit consolationem. R. Conventus Mutinensis Priori de præstitâ eximiâ charitate gratulatus est, cæterisque Italiæ Conventuum Superioribus, mandavit ut diligentissimè curarent Antonium, si advenisset, ac tandiù retinerent, quandiù voluerit, quandiùque iteratus in morbum lapsus timeretur.

Cæterùm in Conventu Mutinensi menses quatuor commoratus, eximia patientiæ, humilitatis, obedientiæ ac pœnitentiæ exibuit argumenta; nùnc tertianâ, nùnc continuâ, febri affectus, à missâ quotidiè celebrandâ, nisi Prioris prohibitio præcessisset, seipso, fortior non abstinuit, tùnc

D

ſpirituali, quo ſacrum faciens perfundebatur gaudio, obedientiam, nèc ægrè præferebat.

Adveniente ſacri Jejunii Quadrageſimâ R. Mutinenſis Prior de Antonii incolumitate ſollicitus, voluit ut, ſin minùs carnes, ova ſaltèm, & lacticinia ad cibum adhiberet; præclusâ omni exceptione paruit Antonius; at verò tranſacto biduo humili prece tandèm obtinuit, ut communem menſam frequentaret, ac quadrageſimali cibo uteretur, à ſingulari namquè agendi ratione ſemper abhoruit. Quas poſtmodùm, maximo auditorum fructu, habuit ad populum conciones, remittente febri, in eodem Mutinenſi Conventu ex parte compoſuit.

CAPUT XVII.

Prima Congregationis Domus extruitur.

Ant. Tour. tom. 5. p. 518.

PRiſtinæ valetudini reſtitutus Antonius Avenionem anno 1636. Junio deſinente, adveniens toti Civitati non leve gaudium attulit. Aream, tùm ad extruendam Domum, tùm ad hortum Olitorium ordinandum aptiſſimam, ac extrà ampliſſimæ Civitatis mœnia poſitam Antonio obtulere viri nobiliores Avenionenſes, ut retinerent, ſcilicet, tantoque bono perfruerentur; ipſe verò habitâ, ut æquum erat, gratiarum actione, abundat, inquit, ſpiritualibus auxiliis Avenio Civitas, nec deſunt operarii pervigiles, quorum operâ, & ſtudio floret chriſtiana Religio; extat ampliſſimus Prædicatorum Conventus, extat ejuſdem Ordinis Monaſterium; imprudentèr egerim, ſi novam Avenione fundationem, pauperum ipſe, ac ruricolarum prædicator, admiſerim.

Extat in Vindaſcino Comitatu, ac Diœceſi Cavallicenſi Oppidulum (*Lagnés* dicitur, ac leucis quinque Avenione diſtat) ibi Illuſtriſſimus D. Joannes Scipio *de ſaint Tronquet* ejuſdem loci Condominus, nedùm eximia charitate, verùm etiàm generis nobilitate, ac bellica laude, terrâ, marique clariſſimus, domum dono dedit Antonio quæ naſcituræ, ut ità loquar, Congregationi prima præberet incunabula.

Tunc nullâ interpoſitâ morâ, præſente Illuſtriſſimo D. Fa-

britio *de la Bourdesiere* Cavallicensi Episcopo, in prædicto Oppido, plaudentibus incolis, novæ Congregationis fundamentum posuit die decimâ Julii anno 1636.

Ob singularem in servum Dei venerationem voluit Præsul benevolus, ut ordinatum ibi Sacellum benediceret, in eoque primus missam celebraret: eximiæ pietatis exemplo, utrique actioni spectator interfuit.

Levia fuere, ut verum fatear Sanctissimi Sacramenti Congregationis initia; ipsam servus Dei comparavit grano sinapis quod quamvis per exiguum sit, si semel radices egerit, germinat, diffunditur in ramos, & magnam in arborem crescit. Quæ fortiori cuique viro minuissent animum, ipsi spem, & alacritatem addidere.

Nec fiduciam modò, & alacritatem, verùm etiam inexplicabile gaudium initia hæc Antonio fecerunt; quod namque ab emissâ professione, vel etiam à suscepto regulari habitu, Parisiis degens, expetierat, hæc in prædicto Oppidulo pro votis planè est assecutus.

CAPUT XVIII.

Quæ sit in domo hac Fratrum vivendi ratio.

CONcessâ à viro nobili Avenionensi Domus, humilis est, ac amicæ paupertatis formam maximè repræsentat Antonius, eique, qui ex vicinis Ordinis Provinciis eum convenerunt, ut arctam æternæ salutis viam ipso præeunte, sequantur Sanctissimi Patris Dominici gloriam speculantes, in eamdem imaginem transformari contendunt. Nèc redditus possident neque possessiones. Pane ostiatim emendicato victitant, nec in crastinum sunt solliciti. Non attonso, ac grossiori panno, ut mendicantes decet, vestiuntur. Silentium, abstinentia, jejunia, cæteraque sacrarum Constitutionum capita, nullâ admissâ dispensatione, perquàm accuratè servantur. Antonii voluntas omnibus lex est, atquè norma, unum illud spectant omnes, quid velit, continuoque exequuntur. Præscriptis Ordinis austeritatibus, susceptos spontè cruciatus certatìm, & alacritèr superaddunt. Alii supèr Palearem mattam, alii

ſuper nudam humum cubant, alii antè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum orantes, pernoctant. Omni indiſcriminatìm tempeſtate mediâ nocte, ad matutinum perſolvendum ſurgentes, ad tertiam uſque horam ſacras vigilias permulti protrahunt. Quotidianum habetur Capitulum, nèc culpæ, vel leviores, impunitæ dimittuntur. Ad præſtitutum temporis articulum ad Chorum cum venerint, horas Canonicas attentè, ac devotè perſolvunt, atque, ut in Beatiſſimam Mariam Virginem augeatur fidelium cultus, quotidiè veſpertinis horis, ex tribus Sanctiſſimi Roſarii partibus unam, congregato populo, adjunctis piis meditationibus, exponunt. Mentali orationi diebus ſingulis per duas horas vacant. Deo mente conjuncti, ac cœleſtia meditantes a vanis colloquiis abſtinent. Oleribus dumtaxàt, aut inconditis leguminibus nutriuntur, ſin verò his quidquàm addatur, ea eſt omnium temperantia, ut unus minoris prætii, ac ponderis Oniſcus alendis fratribus octo, per dies quatuor ſufficiat. Ter plerique, decurrente Hebdomadâ, in pane, & aqua jejunant. Altero quoque die acri flagello in ſua terga ſæviunt. Menſæ aſſidentes, ne corporali cibo nimiùm addicti, Deum recogitare intermittant, campanulæ ſigno, ut mentem ſursùm erigant, identidèm admonentur. A periculoſo proprietatis vitio vehementiùs abhorrentes, nihil proprium dicunt nihilque proprium habent, ipſis omnia ſunt communia.

Priſtino Ordinis fervore renovato, longè, latèque manavit novi hujus Dominicanorum cætûs fama; adeò, ut effusè venirent vicinorum Oppidorum incolæ, novos concionatores audituri, admiſſaque peccata plangentes recederent. Ipſe Antonius, quod ſancti Patris Dominici mores, ac virtutes exiberet, alter Dominicus paſſim ab omnibus dicebatur.

Neque adulatoria hæc fuit aut falſa commendatio; ſuprà enarratis quippè privatæ vitæ auſteritatibus, operoſiores Apoſtolici numeris labores, infatigabili adjunxit ſtudio; ipſius, ac ſociorum Conciones, vel ipſa colloquia nedum in Oppido de Lagnés, verùm etiàm in totâ Cavallicenſi Diœceſi reſtingunt odia, compeſcunt lites, pacem conciliant, remiſſum ſanctæ charitatis fervorem amplificant, renovatur veterum Chriſtianorum pietas, & Sacramentorum uſus. Dominicis, ac feſtivis, vel etiam profeſtis diebus, finitimam regionem percur-

Ant. Tour. tom. 5. pag. 519.

runt, ſpirituales animarum campos, ſaluberrimo prædicationis imbre, irrigantes; non frigoris aſperitas, non æſtatis ardores, non ſævientes venti, non ingruentes pluviæ, non nives, non glacies ſanctæ charitatis, quo accenduntur, ignem minuunt, nèc indefeſſo frangitur labore tantorum Prædicatorum animus.

Inſulæ Civitatis Moniales, quas Urſulinas vocant, quibuſque ad plures annos Antonius ſanctiſſimè præfuit, ad arctioris vitæ propoſitum vivis ipſius adhortationibus excitatæ, aliæ (ut Antonii verbis utar) trigeſimum, aliæ ſexageſimum, aliæ verò centeſimum boni operis fructum attulerunt. Primævum Ordinis fervorem, intentâ adeò mente reſumpſerunt, ut earum nonnullæ, cum magnâ ſanctitatis laude, è vitâ diſceſſerint. Rel. part. 2.

Maximò intereà Romæ afficiebatur gaudio Reverendiſſimus Nicolaus Rodulphus Generalis Magiſter: incæptæ novæ Congregationis accepto nuncio, de tanto opere Antonio gratulatus eſt ipſique patentes litteras miſit, quibus nova Maſſiliæ, Arelate, & Aquis-ſextiis fundandi Domicilia facultatem impartitur. (Gratiam hanc ab eodem Reverendiſſimo enixè poſtulaverant earumdem civitatum viri nobiliores) nè verò in augenda congregatione ſervo Dei mora afferetur, utque promptius cogitata perficeret, adjecit præceptum formale, necnon excommunicationem latæ ſententiæ omnibus, & ſingulis ſuæ obedientiæ ſubjectis, qui earum executioni directè vel indirectè, per ſe, vel per alios impedimentum quoquomodò afferre præſumerent. Harum litterarum authographum habetur in noſtro Thorenſis Conventus Archivio.

CAPUT XIX.

Thorum ex Oppido de Lagnés *domicilium transfert.*

TOt intereà bonæ ſpei adoleſcentes regulari veſte induendi, tot ex ipſomet Ordine Prædicatorum ad Antonium veniunt juniores Sacerdotes, ut domus, cæteroqui arctior, Diſcipulos non capiat, nèc valeat Oppidulum, tot fratrum victui, quantumvis tenui, neceſſaria ſuppeditare.

Quapropter, ſuadente prælaudato Cavallicenſi Epiſcopo, ad

Thorenſem civitatem, unâ leucâ diſtantem domicilium tranſtulit ſervus Dei, ibique eam, quæ nunc prima habetur, congregationis domum extruere aggreſſus eſt.

Quoniam verò inimicus homo, in iis maximè, quæ Dei ſunt, ſolet ziazania ſuperſeminare, contentiones, contradictiones, oppoſitiones, ad impediendam hujuſce domûs fundationem non defuere.

Re ad excellentiſſimum Fridericum Sforzia Prolegatum Avenionenſem delatâ auditis partibus, latâque ſententiâ, Antonius judicio pænitus liberatus eſt, ac novæ Thorenſis domus anno 1637. die octavâ Junii Sanctiſſimæ Trinitati ſacrâ poſſeſſionem iniit.

Tùm mutatis animis, àc, ſingulari Dei nutu, depoſitâ ſimultate, magna intèr Thorenſes contentio facta eſt, ipſique procatioris ingenii homines ad promovendam novæ domûs conſtructionem ardentiores facti ſunt; multa multi pro ſuis quiſque viribus offerre, ligna parare, arenatum rutro ſubigere, cœmentàrio Opifici inſervire, omnes lætari.

Tunc præthereà contigere, quæ divinæ virtutis opera nonnullis viſa ſunt. Cæmentarii namquè Opifices onera humanis viribus longè majora deferebant, ex his unus, lapidis pergrandis mole oppreſſus, quo atteri, ac comminui debuerat, ſurrexit illæſus; jumenta ipſa debiliora, annoſa, quæque exèſo corpore vix hærerent oſſibus, gravi impoſito onere fiebant vegetiora.

Antonius interim ac ſocii alia per alios exercentes, ſibi prædicationis munus reſervarunt; ſancti Patris Dominici, imò Domini noſtri Jeſu-Chriſti veſtigiis inhærentes, non amplas dumtaxàt Civitates, verùm etiam Caſtella circuibant, docentes, & prædicantes Evangelium Regni: neglecto ut prædictum eſt, æſtivis caloris æſtu, ac hyemalis frigoris aſperitate, ſacras miſſiones ut anteà cæperant, peragentes, ad peccati deteſtationem, ac terrenorum contemptum audientes inflammabant.

Nequè hìc repetenda veniunt, quæ ſuperiori Capite dicta ſunt. Domi degentes Antonii obſervant conſilia, & omnes motus. Quod imperaverit, omnes exaudiunt. Per humilitatis gradus ad majora feſtinant. Idem velle & nolle unum facit de multis. Bellum cum ſalutis hoſtibus exercent. Fratres

cum fratribus de virtute pugnant, arctissimæ pœnitentiæ exercitiis delectantur, summam paupertatem habent pro divitiis; in hoc cognoscunt omnes, quod Christi Discipuli sunt, quod charitatem habent ad invicèm.

Magnum Avenione, àc in toto Vindascino Comitatu erat Thorensis Prædicatorum familiæ nomen; Præsules, ac Populi renovatum sanctissimi Patriarchæ Dominici spiritum, ac relatos ex sacris Missionibus uberes fructus admirabantur. Arelatensis, Aquensis, ac Massiliensis Magistratus datis litteris Antonium rogabant ut in eisdem Civitatibus novæ domus fundationem admitteret. Fridericus Sforzia Patricius Romanus, avenionensis primùm Prolegatus, dein verò Cardinalis Episcopus Ariminensis, cùm audiisset, quæ de Antonio, ejusque sociis dicebantur mirabilia, eâ tantùm de causâ Thorum venit, ut narratorum veritatem comprobaret, compertoque domûs præsenti statu divinæ gratiæ potentiam agnovit, Thorense domicilium in suam fidem, ac clientelam accepit, omnemque opem Antonio peramanter pollicitus est. Ut quod cæperat opus, intentis viribus prosequeretur est adhortatus, eumque, quoad vixit, peculiari benevolentiâ cohonestavit.

CAPUT XX.

Nova domus propè Massiliam extruitur varii motus excitantur.

GEneralis Magistri auctoritate munitus Antonius, non multò post, anno videlicet 1639. tertiam domum ædificandam curavit in Massiliensi territorio, ad Sacellum Nostræ Dominæ *du Roüet* sibi a Monachis Sancti Victoris Massiliensis peculiari affectu, liberaliter concessum. Ut in Thorensi, ità in Massiliensi Conventu leges perquàm accuratè servabantur.

Fatetur hìc eruditissimus noster Echard, quidni, & ipse fatear? In augendæ Congregationis prosequendo consilio humanum quid Antonio excidisse. Arctiori, quo agebatur pœnitentiæ desiderio, utque Apostolis ad prædicandum Evangelium mittendis similior fieret, firmiusque, ut quidèm putabat, subsisteret cæpta Congregatio, optimum factu judicavit anno 1640. die vigesimâ-octavâ Augusti, si tùm ipse, Jac. Ech. t. 2. p. 664 col. 1. c

tùm ſui dimiſſis calceis, ſandaliis uterentur, hancque pedum nuditatem prælaudatus Fridericus Sforzia Avenionenſis Prolegatus, Pontificiâ quâ valebat auctoritate, peculiari reſcripto (Bullam vocant) Antonio agente, probavit. *Quod nolit Deus ſancti ipſi quandòque deſiderant, quia ipſis bonum appareat.*

Aug. in pſál. 32. conc. 1.

Ut primùm apparuit nudipes, omnium ſermone vapulavit, variæ in eum excitatæ ſunt tempeſtates, amici ſui, & proximi ſui adverſùs eum appropinquaverunt, & ſteterunt. Hos maximè pungebat, inquit prælaudatus Echard, unitas Ordinis, intèr tòt turbines, à multis ſeculis adhùc inconcuſſa, quam ex hac pedum nuditate certò ruituram, ex aliorum Ordinum experientiâ præſagiebant, in quâ tamen tota poſita eſt Ordinis Prædicatorum ſubſtantia, àc ceù Eccleſia jam nulla eſt, ſi non ſit una, uni Chriſti Vicario adhærens, ſic & Ordo Dominici, ſi non ſit unus, uni Magiſtro copulatus, cui omnes profitentur, jàm nullus eſt.

Jac. Ech. Loc. cit.

Quapropter eo dumtàxat, quem diximus metu, né ab Antonio Ordinis diviſio naſceretur, Reverendiſſimus Generalis Magiſter, qui ab hac diviſione jureméritò, ac vehementiùs abhorreret, conceſſas antèhac patentes litteras reſcidit, datam Antonio nova fundandi domicilia facultatem irritam fecit, nècnon, agente Eminentiſſimo Cardinali *de Richelieu* Archiepiſcopo Lugdunenſi, ac Abbate Monaſticæ domus ſancti Victoris, è Thorenſi, ac Maſſilienſi domibus ejecti, Romam citati ſunt excalceati Prædicatores.

CAPUT XXI.

Romam iterùm proficiſcitur.

INſperato nuncio commoti ſunt omnes, ac obſtupuerunt; nonnulli, nimio timore dejecti, quodque ad ſuſcipiendum longiùs iter, aut non ſuppeterent vires, aut deficeret animus, ad ea undè venerant domicilia ægrè, ac profluentibus lacrymis reverſi ſunt. Antonius verò Reverendiſſimi mandato, quâ par eſt reverentiâ obſecutus, nullâ interpoſitâ morâ, anno 1642. die ultimâ Martii cùm ſociis novem, quorum quinque Sacerdotes, duo Clerici, duo verò erant converſi

converſi cùm è civitate ad ſancti Eutropii oppidum navigaſſent, accidit perincommodè, ut ex Sacerdotibus unus è navi deſcendens, alliſo altero crure, lecto detineretur.

Interjectis aliquot diebus, quod graviùs ægrotaret, quam ut brevi curari poſſe videretur, relicto, qui decumbenti inſerviret, converſo, eumque paterno affectu, verbiſque amantiſſimis conſolatus, mari commiſit ſeſe Romam iturus.

Exortâ non multò poſt ſeviori tempeſtate, ad ſanctæ Margaritæ Inſulas navis apulit, ibique dum tranſmiſſionem expectaret, nè otio difflueret, nevè ſolveretur, quo flagrabat ſalutis animarum ſtudium, Apoſtolicâ munitus auctoritate, ac annuente Reverendiſſimo Graſſenſi Epiſcopo, milites Inſularum Cuſtodes, præviâ Confeſſione expiatos, Cœleſti pane Dominicâ Palmarum refecit; ſocii verò, Antonio duce, rudes Chriſtianæ doctrinæ præceptis probè inſtituebant, milites verò, tùm privatis colloquiis, tùm publicâ concione, ab ebrietate, blaſphemiis, fraudibuſque deterrere nitebantur.

Elapſis diebus circitèr novemdecim, factâ maris traquillitate, navim rurſùs conſcendens centum Cellas, ſecundo vento, cùm appuliſſet, carceri addictus eſt; præmiſerat namquè Reverendiſſimus Ordinis Magiſter omnibus Italiæ Conventuum Superiobus excalceati Dominicani formam, adjecto præcepto formali ut eum detinerent ſi adveniſſet.

Elapſo octiduo, ſervum Dei Romam advenientem idem Reverendiſſimus, qui cæteròquin virum, ob eggregia merita, & virtutum præſtantiam magni faceret, hiſcemet verbis eſt allocutus *Quò mentem intendis fili cariſſime? Quid cogites de retinendâ, quam perperàm aſſumpſiſti pedum nuditate ſcire ſanè velim? An ergò tibi videtur, quod melius ſit elegiſſe? aberraſti profectò, aberraſti: id mea, id totius Ordinis intereſt, tantæ novitati diligentiùs occurrere; extrà culpam non ſim, niſi hanc, quâ valeo auctoritate, depulerim. Quid tibi ſit faciendum tuum jam conſilium eſt; abi, hocque privatim delibera.* Magnam quamvis injecerint Antonio ſollicitudinem verba hæc, nihilominùs Cellam ingreſſus, cui à Definitoribus Capituli Generalis eodem anno 1644. juſſu Urbani Octavi celebrati, latâ Sententiâ, fuerat addictus, placidâ pace, mentiſque tranquillitate primùm potitus eſt, Deo grates, ac laudes retulit; in genua

provolutus tabulatum est deosculatus, maximæque gratiæ tribuit hanc culparum suarum pœnam sustinere.

Verùm, permittente Deo, horrendis anxietatibus postmodùm traditus est: has esse damnatorum cruciatibus persimiles, vir pietate insignis, ac in Galliâ degens, revelante Deo, cum cognovisset, Antonii vicem doluit, eumque datis litteris consolatus est. Tantus erat, quem patiebatur dolor, ut, nisi minuisset eum Deus, brevi se crederet moriturum.

Hiscè in angustis positus libellum, qui de Imitatione Christi inscribitur, quemque sempèr secum deferebat cum aperuisset, divino planè consilio factum est, ut in ea verba fortuitò incideret, quæ, ut potè præsenti suo statui apprimè convenientia, afflictum à mœrore animum erexere.

CAPUT XXII.

Pedum nuditatem dimittit.

TUm habito cum RR. Patribus Joanne *Richaume* Romæ sancti Xisti Conventus Vicario, & Petro Coliard sanctissimæ Annunciationis Cœnobii Parisiensis Priore (hic negotiorum causâ Romam venerat) colloquio, ad Reverendissimum Ordinis Magistrum reversus Antonius, *Totus*, inquit, *in tuâ potestate sum, quam imponere legem placuerit lubentèr accipiam, quamque pedum nuditatem, bono animo susceperam, abjectâ omni cunctatione, dimitto.*

Aug. in psal. 32. *Quamquàm autem corde mortali privatim aliquid velint justi, quod suæ interim causæ, vel negotio, vel præsenti necessitati conveniant, ubi intellexerint, vel cognoverint, aliud Deum velle, præponunt voluntatem melioris voluntati suæ, & voluntatem Omnipotentis voluntati infirmi, & voluntatem Dei voluntati hominis.*

Melioris voluntatem voluntati suæ prætulit Dei famulus, àc pedum nuditatem, quam tùm apud Excellentissimum Prolegatum Avenionensem, tùm apud supremæ Aquensis Curiæ Judices, vel etiàm apud summum Pontificem fortiori animo deffenderat, ut potè ab Ordine Prædicatorum alienam conceptis verbis, ac longiori enarratione postmodùm reprobavit, Rel. cap. 11. ac imprudentiæ (ut Sanctorum mos est) humilitèr tribuit,

quod observantiæ regulari profuturum perperàm fuerat arbitratus.

Ut apparuit calceatus pedes in præparationem Evangelii pacis, in gratiam Ordinis receptus est, ac Reverendissimi Thomæ Turci Cremonensis in Generalem Magistrum hiscemet diebus electi, existimationem adeò, ac benevolentiam est assecutus, ut juniores Novitios, qui ex Boemiæ Regno Romam venerant regulari veste induendi, monasticæ vitæ præceptis imbuendos ipsi commiserit.

CAPUT XXIII.

Antonii Socii in Galliam remittuntur.

ANtonio Romæ, Joanne verò Dalmassy Anagniæ remanentibus, cæteri omnes ad R. Gallo Provinciæ Priorem Provincialem missi sunt, adjecto, de competenti Domicilio eisdem providendi, mandato.

Hi Castellanam perantiquam ejusdem Gallo Provinciæ Civitatem cum pervenissent, messem quidem multam, operarios autem paucos repererunt; quapropter annuente eodem Priore Provinciali, ac urgentibus Reverendissimo Senecensi Episcopo, ejusdemque Civitatis Clero, & Magistratu, ibi biennio sunt commorati, regularis Disciplinæ legibus intenti, ac Domino servientes in lætitiâ.

Nèc ipsis tùnc negotium defuit. Vocationis suæ memores, asperrimos montes percurrunt, concionantur, sacras habent missiones, montanam plebem christianis moribus, ac præceptis informant, pueris prima fidei capita tradunt, fidelium confessiones excipiunt, Sacri Rosarii Societatem, aut instituunt, aut jàm pridèm collapsam restaurant. Extat prælaudati præsulis sequens testimonium suaptè manu latinè conscriptum.

Ludovicus du Chaine Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopus, & Dominus temporalis Senecensis. Cum in nostrâ Diœcesi aliisque finitimis Fratrum Dominicanorum qui in summa paupertate, & sine redditibus vivunt, & quorum reformatio in Conventu du Thor Comitatus Avenionensis incæpit diligentiam, zelum, pietatem, doctrinamque in rusticis hominibus catechisan-

dis, horum confeſſionibus excipiendis, cæterisque rebus, quæ ad miſſiones pertinent peragendis experientiâ probaverimus libentèr hoc veritatis teſtimonium reddimus hos ſancti Dominici pauperes alumnos magnam Epiſcopis Operam præſtare poſſe in illorum Parrochiis perluſtrandis, populis Chriſtianâ Doctrinâ imbuendis, ad Evangelii normam inſtituendis exercendo Prædicatorum, quo nomine vocantur, officio; ideò optandum eſſe, ut in unaquæque Diæceſi illorum Monaſteria inſtituantur, ac longè, latèque hæc piiſſima Reformatio propagetur. Datum in noſtro Caſtro Seneceſi anno 1659. die vigeſimâ primâ junii. Ad Antonium redeo.

CAPUT XXIV.

Pariſios mittitur

QUàmvis de datâ ab Antonio fide, nihil dubitaret Reverendiſſimus Ordinis Magiſter, attàmen, ut magis magiſque ejus probaretur obedientia, nihilque de reſumendâ pedum nuditate ab eo timeretur, urgente præterea ipſius in Galliam reditum Illuſtriſſimo Comite *de Chaumont* Ludovici decimi quarti Galliarum Regis, apud Summum Pontificem Oratore, Pariſiios mittere conſtituit, ſuamque de hac re, ipſi ſententiam denunciavit.

Hic verò, qui à ſuſcepto regulari habitu promptiſſimum præſtaret Prælatis obſequium, Magiſtri Generalis mentem non eſt perſcrutatus, nèc curioſiùs reverſionis tempus exquiſivit, nullâ uſus eſt excuſatione, moras non nexuit, abire præſtò fuit.

Biennium itaquè Romæ commoratus, ac Joanne Dalmaſſy anagniâ revocato, ac Antonio reddito, anno 1644. die octavâ Novembris Pariſios ambo miſſi ſunt, ibi quamdiù Reverendiſſimo placuerit permanſuri, ipſiſque factâ poteſtate, vel Sti. Germani, vel Sti. Honorati Conventum, quem vellent, eligendi.

Nèc mora. Prælaudato comiti (huic Antonii res non minùs cordi erant, quàm ſuæ, accerrimumque, Galliæ Rege jubente, ſervi Dei deffenſorem tùm Romæ, tùm Pariſiis præbuit ſe) de acceptis beneficiis habitâ gratiarum actione, viſitatis Romanis ſacrariis, acceptâ à novo Generali Magiſtro

benedictione, diversisque ab eo donatis munusculis, servatis consuetis jejuniis, abstinentiâ, orationibus, ac mentis recollectione, cæptum iter prosecuti, Christi bonus odor effecti sunt, apud eos maximè, qui viatores, aut alloquerentur, aut hospitio reciperent.

Sæviente hyeme, longoque itinere, quod pedibus, nulloque sumpto viatico, confecerant fatigati, Parisios die secundâ Februarii insequentis anni cum advenissent, lætati sunt amici, & ad consalutationis officium venerunt festinantèr.

Inter eos maximè sanctissimæ Annunciationis Conventus Fratrum benevolentia enituit, suæque in tantum virum existimationis argumenta præbuere; quodque ab instituendæ novæ Congregationis consilio discessisse crederetur, RR. Patres *Guillerme* Congregationis sancti Ludovici Vicarius Generalis, & Martir *Coliard* prædicti Parisiensis Conventus Prior oblato Magistri Novitiorum officio, Antonium Parisiis retinere conati sunt.

Ipe verò, quippè qui laboribus nullis frangeretur, nèc otio indulgens, aut quieti, per advenientem Quadragesimam in Ecclesia Sancti Thomæ ad Regiam Basilicam, tribusque post Pascha diebus Dominicis, in sancti Sulpitii sacrâ Æde, tantâ Civium frequentiâ conciones habuit, ut Ecclesiæ, quantumvis amplissimæ, auditores vix caperent. Magnum ex tùnc Parisiis fuit Antonii nomen; nedúm rudes, ac plæbei, verùm etiàm nobiliores ipsi veniebant, ut concionantem audirent, eoque Duce, in æternæ salutis viâ uterentur.

CAPUT XXV.

Thorum remittitur.

INter hæc Thorensis Magistratus dato ad summum Pontificem (Antonio inscio & absente) libello supplici, recensitis eggregiis ipsius dotibus, nècnon enarratâ, quæ ex ejusdem ministerio obveniebat populis ingenti utilitate, ut Thorum remitteretur cum expostulasset, factum est, ut Reverendissimus Thomas Turcus in Generalem Magistrum recèns electus, ad lustrandos Galliæ, ac Hispaniæ Con-

ventus Româ profectus, Avenionem anno 1645. circà festum omnium Sanctorum advenerit.

Illùc, per litteras, suadente R. Patre *Richaume* sancti Xisti Romani Conventûs Priore cum carissimo socio Joanne Dalmassy incunctantèr venit Antonius ut, quod per litteras petierat, vivâ voce consequeretur; certò namquè prævidebat institutæ Congregationis ruinam, si diutiùs abesse cogeretur.

Venientem peramantèr excepit Generalis Magister, ac totâ coràm Avenionensi Prædicatorum familiâ laudavit *Vidi eum Romæ*, inquit, *verè enim est vir eximiæ sanctitatis* habitoque privatìm longiori colloquio, piisque munusculis donatum ad pauperrimum Thorense Domicilium pro votis dimisit.

Audito servi Dei proximo adventu, in occursum prodiere Thorenses, ejusque aspectu suprà quàm cuilibet credibile est Lætati sunt, mortuus eras, aiunt & revixisti, perieras, & inventus es, optimi Patris nomine appellabant, honorisque gratiâ ad Conventum deduxerunt. Domum reversi miserunt ei munera, in certissimum amoris, & gaudii testimonium. Cæterùm ex Hispania rediens prælaudatus Generalis Magister, Thorum feriâ sextâ majoris Hebdomadæ, matutinis horis cum venisset totâ die jejunavit pane & aquâ contentus. Orationem habuit, assumptis pro Textu sermonis
Luc. 12. 32. hiscemet verbis *Nolite timere pussillus grex.* Mutuam charitatem, victûs asperitatem, ardentissimum proximorum salutis studium, mentis fervorem, extremam paupertatem, Regulæ, ac sacrarum Constitutionum observantiam admiratus, ut, quâ cæperant viâ ambularent, ferventiori oratione adhortatus est. Utinàm, ait, quæ maximè viget in Domo hac regularis Disciplina, in omnibus Ordinis Conventibus reflorescerет. Carissimis in Christo filiis, præ gaudio lacrymantibus, benedixit, eisque omnem opem, ac tutelam pollicitus profectus est, Romam reversurus.

CAPUT XXVI.

Parisiensis Conventus Prior eligitur.

SEdatâ seviori tempestate, quietam litoris stationem tenuisse se, credebat servus Dei, totque labores passus, placidâ in pauperrimo Thorensi Domicilio perfruebatur pace cùm novo obedientiæ experimento, suavissimum Deo obtulit propriæ voluntatis sacrificium. Ant. Tour. tom. 5. pag. 522.

Parisiensis SS. Annunciationis Conventûs Religiosi viri, quippèqui, ut prænotavimus, Antonium maximè diligerent, ejusdemque venerarentur sanctimoniam, eum sibi, consentientibus votis, in Priorem elegerunt, duoque ejusdem sanctioris familiæ graviores Patres Thorum missi sunt, qui ipsi electionis litteras denunciarent.

Miratus est Dei famulus, gravique timore percussus, ut propositam fugeret dignitatem (huic ferendo oneri imparem existimabat se) litteras dedit Reverendissimo enixè rogans, ut id muneris depelleret a se. Verebatur insupèr, nè cæpta intèr tot labores Congregatio, ipso longiùs abeunte, corrueret, nevè evanescerent hactenùs suscepta consilia. Hoc ipsum erat, quod Antonium habebat anxium.

Postulatam gratiam abnuit Generalis Magister, litterisque anno 1648. die decimâ nonâ Februarii Cæsar-Augustæ datis, non imperando quidem, sed adhortando voluit, ut oblatum admitteret Parisiensis Prioratûs Officium. Ant. Tour. tom. 5. pag. 523

Superiorum nutu, ait, *Parisios vocat te Christus, ipsum, omni præclusâ excusatione, sequaris, oportet; quod in uno Gallo-Provinciæ recessu facis, bonum est, melius est quod juberis: Christum amas? oves pasce, non quas elegeris, sed quarum cura fuerit tibi demandata, hoc sanè modo aderit tibi Deus, nec à pusillo grege, quem in Thorensi deserto ad tempus deseras, Providentiæ suæ oculos avertet.*

Hoc accepto responso, obsecutus est humilis vir, ac Joanne Dalmassy instituto Thorensis Conventûs Vicario, Parisios anno 1648. ineunte Maio, profectus est; hanc porrò multorum dierum viam pedes, ac sine viatico de more confe-

cit ſervatis jejuniis, & abſtinentiâ, bis quamvis, vel etiam ter prædicaret verbum Dei uno die.

Lætienſem Eccleſiam in totâ Picardiæ Provinciâ miraculorum gloriâ, ac Populorum frequentiâ percelebrem Deo ſub invocatione Beatiſſimæ Mariæ Virginis dicatam, cuique eum Parentes devoverant priuſquam naſceretur rectò adiit, ut ejuſdem Virginis auxilium imploraret, ſeſeque ipſius commendaret patrocinio.

Orabat ibi flexis genibus, cum ſubfuſcus Beatæ Virginis Statuæ vultus in album derepentè converſus eſt; quo miraculo, per horam perdurante, intellexit vir Dei, Hiſpanos milites, qui tùnc in Picardiam irrupſerant, eique ingentem inferebant vaſtitatem propedièm, initâ pace, ad propriâ reverſuros. Immiſſam à Deo cogitationem monſtravit eventus.

Lætitiâ demigrans, ad Conventum de Goneſſe profectus eſt, ut ſpiritualibus exercitiis per octiduum vacaret, atquè ad fructuosè regendam commiſſam ſibi domum divinam opem aſciret.

Nèc tamèn potuit cogitata perficere, aut diutiùs latere; audito namquè Pariſiis ipſius adventu, RR. PP. Joannes Baptiſta *Guillerme* Congregationis ſancti Ludovici Vicarius Generalis, & Ludovicus *Breton* Magiſter Novitiorum, illùc cum veniſſent, ad Pariſienſem Conventum, in quo vigeſimo ſexto, abhinc anno regularem habitum ſuſceperat, lætantèr perduxerunt.

Hilari admodùm blandoque vultu, ac luculentis bevolentiæ argumentis Antonius exceptus eſt; ipſe vero ſerenâ fronte, ad unum omnes amplexus, omnibus ſe amabilem exhibuit.

CAPUT XXVII.

Rectè fungitur Prioris officio.

CÆterum perfecti Superioris, ſi quis deſignare formam cupiat, à noſtro Antonio exemplum petat, oportet. Ab ipſo ſuſcepti officii die, pervigilare jàm cœpit, quaſi rationem pro animabus fratrum ſibi commiſſorum redditurus. Paſtoris optimi functus officio, Dei amorem, mutuam charitatem

charitatem, humilitatem, victûs asperitatem, salutis animarum studium, solitudinis amorem, regulæ, ac sacrarum Constitutionum observantiam cæterasque, quæ regularem vitam professos virtutes deceant, in subjectâ sibi domo tueri, vel etiàm augere prudenti studio sategit.

An suo quisque staret officio, an servaretur silentium exploraturus, diversas Ædium regiones frequentèr discurrebat; an rectè instituerentur Novitii, an studiorum exercitia accuratè perficerentur diligentèr attendebat; Dispensationes (quas vocant) nisi certæ necessitati niterentur, omninò subtraxit; fratrum è Claustro exitum, urgente dumtaxàt necessitate permitebat; habito quotidiano Capitulo de his quas adnotasset transgressionibus, arguebat, eâ porrò charitate, ac mansuetudine, ut nullius animum exasperaret, nullum læderet, ad virtutem omnes accenderet.

Patriarchæ doctissimi doctus filius, eos, qui doctrinâ præstarent excelso in loco semper habuit, eos præsertìm, qui sancitis jejunii, abstinentiæ, ac orationis legibus accuratè parerent; Magistros curæ suæ commissos frequentèr hortabatur, ut qui cæteros doctrinâ antecellerent, cæteris etiàm virtutum prælucerent exemplo, *lucere vanum*, aiebat cum sancto Bernardo, *ardere parùm*, *lucere*, *&* *ardere perfectum* Parisiensis Conventus RR. PP. de tanti Prioris rectâ intentione certissimi, ipsius agendi modum non severitati, sed officii sui debito tribuebant. Magnâ apud eos valebat auctoritate, nèc mirùm, sancti Gregorii namquè monito obsecutus, quidquid ab aliis fieri vellet, ipse Prior incipiebat. Bern. de S. Jean Bapt.

Prodesse magis, quàm præesse cupiens, ad præstitutum temporis articulum, choro diù, noctùque aderat, ac divinas preces, eo mentis fervore, eâ recollectione, eâque devotione decantabat, ut jamjàm interesse Angelorum Choris, beatâ visione frui, cælestisque Patriæ gaudia prægustare videretur. Orabat spiritu, orabat, & mente; psallebat spiritu, psallebat & mente utilis silentii tenax, è propriâ cellâ non egrediebatur, nisi obeundis muneris sui partibus, vel excipiendis fidelium confessionibus, aut (quod quidem opus numquàm intermisit) procuranda, Verbi Dei præconio, proximorum salute; quandiù Parisiis mansit, nisi charitas

cogeret, aut neceſſitas, neminem ſalutandum adiit, Parentes non inviſit, nèc aſſentatiunculâ quâdam magnatorum favorem aucupari viſus eſt. Conquerenti quandòque Matri reſpondit mihi gregis cuſtodia commiſſa eſt, ipſum ab hoſte defendere partes meæ ſunt, ab eo, vel ad tempus recedere nefas, expleto officii mei triennio inviſam te, quodque poſtulas conſequeris.

A ſuſcepto regulari habitu aſperiori, victu non fuerat uſus. Thori degens jejunare jàm cœperat pane, & aquâ contentus, addito diebus Dominicis, & feſtivis leviori pulmento; at verò ut Pariſios advenerit, ſubſtracto ſibi pulmento, panem ſecundarium (furfuracum optaſſet) ad cibum meram aquam ad potum, vèl etiàm iter agens, adhibuit, eamque aſperrimi jejunii conſuetudinem per quinquemnium conſtanti animo retinuit: biduum, triduumve quandòque ab omni cibo, potuque abſtinebat; adeò ut alter Joannes, qui teſtante ſacro eloquio, venit nequè manducans, nequè bibens palàm ab omnibus diceretur.

Suaptè naturâ alſius, vel hieme ſeviente, non multiplicato veſtitu, nèc ad ignem calefactus præſtabat ſe tutum à frigore. Lectum nunquàm adiit, ſed innixus Cathedrâ, parvo, brevique ſomno utebatur. Victus admodùm aſper, & horridus, tot ſponte ſuſcepti cruciatus, qui fortiſſimi cujuſque viri debuerant vires exhaurire, novum, ac inſolitum ſervo Dei robur, & animum adjungere videbantur; vegetior fiebat; concionantis latera firma omnes mirabantur, vocemque grandiorem.

Celebre Pariſiis erat Antonii nomen, ejuſque virtutum famâ perſonabat Regia Civitas: nobiliores fœminæ, aulici, ac optimates, tot virtutum fragantiâ allecti, quique eum in æternæ ſalutis viâ ductorem peritiſſimum agnoſcerent, ipſùm exquirebant, eo, ut, tùm ad conſilia, tùm ad ſacras confeſſiones uterentur.

Ab altitudine diei timuit humilis Prior, quippequi ab omni faſtu, plurique exiſtimatione vehementèr abhorreret; ex nobilioribus fœminis unam dumtaxàt Vindocini Dominam, quæ ſinceram humilitatem coleret, quæque præcipuo honorum, divitiarum, ac natalium ſplendore præfulgens, vellet neſciri, confitentem audivit.

CAPUT XXVIII.

Reginam intèr, & Parisienses pacem conciliat.

REfugit animus dicere, ac reluctans scribo, quæ silentio præterire optarem valdè. Hoc vel ipso tempore occupaverant hostes Galliæ Regni fines; diffidebant intèr se Procerum animì; vigebant in ipso Regni medio civilia bella; magna Parisiis erat diffidentium petulantia; recrudescebant odia, ac simultates; invalescebant tumultuantium voces; muniebantur, tranversis sæpibus, viarum capita; recesserat Anna Austriaca cum Regio filio, ut populi defectionem ulcisceretur: timendum verò, nè omnia in deteriùs ruerent, nevè severiori exortâ tempestate, ad scopulos allisa Gallia naufragium pateretur.

Cùm non posset Antonius tot ingruentibus malis occurere, elevatis ad Cœlum manibus Deum pacis auctorem enixè precabatur, ut Parisienses ad debitum Regi præstandum obsequium adducerentur, utque Regina, pro Regni totius bono, ac populi solatio, mitiora iniret consilia.

Intèr hæc Parisiensis Senatus Præses servum Dei cùm adiisset, ipsum rogavit, ut ineundæ pacis ministrum præberet se eique, quâ posset â Reginâ audiri, rationem suggessit.

Exercendæ charitatis, ac asserendæ Regiæ potestatis occasionem nactus, San-Germanum, quò tunc Aula convenerat, incunctantèr profectus est. Repulsam statìm passus, à suscepto bono opere abductus non est; Castri Brienni Comitissâ, Reginæ cultui, mundoque præfectâ interveniente, ad Regium consilium adductus, Regem præmissâ reverentiâ, consultâ simplicitate hiscemet verbis est allocutus *Ut Majestati vestræ benedicat Deus, ut gratiam tribuat, vitamque pro subditorum, totiusque Regni bono longiorem præstet adprecor.* Brevis hæc placuit salutatio.

Ant. Tour. tom. 5. p. 123.

Venientem Regina placidâ fronte, animoque benevolo excepit; ipsius in Regem, ac Patriam pietatem admirata, pro Parisiensi populo misericordiam implorantem libentèr

audivit, ab ipſo moneri æquo animo paſſa eſt; voluit, ut Regio filio benediceret, totiusque Regni ſtatum ſuis precibus commendavit, eumque benè ſperare juſſum, comitèr admodùm, ac blandè dimiſit.

Decennis Rex antè ſervum Dei, cancellatis brachiis, inſitâ gravitate ſtans, ab eo non deflexit oculos quandiù Reginam eſt allocutus; demirabatur Juvenis Princeps, quaſi verò in ipſo hominis vultu magnæ ſanctitatis, præcelſique animi ſigna dignoſceret, & verò internam Spiritus Sancti gratiæ abundantiam ipſa adeò facies præferebat, ut milites ipſi quibus viæ publicæ redundabant, quorumque rara pietas eſt, officioſâ honoris ſignificatione proſequerentur quem non noverant.

Verùm quod longiùs procederet expetitæ pacis negotium, quodque Regem diligeret Antonius, ac Patriæ ſaluti proſpicere vehementèr optaret, San-Germanum reverſus eſt, ibique cum Comitiſſis *de Vendome*, & *de Poüllaillon* habito colloquio, ab eiſque, quæ in rem conducerent ſciſcitatus, omnem diligentiam adhibuit, omnemque viam perſecutus eſt, ut cogitata perficeret; quodque humanâ ſolummodò fretus ope, tantum opus aſſequi non poſſe exiſtimaret, ad Deum, in cujus manu cor Regis eſt, de more confugit, ac San-Germano dies quindecim commoratus, continuâ prece, auſteriori jejunio, ac frequentiori ſui corporis verbatione, prætèr omnium expectationem ſecutam pacem impetraſſe, cùm nulla ineundæ pacis extarent indicia, omnium fuit Pariſienſium civium opinio.

Tùnc gratulati ſunt proceres, ac plebei, ipſaque Regina San-Germano Pariſios reverſa, Antonium perhonorificè adiit, accepti beneficii gratiam habuit, ut Aulam frequentèr adiret, hortata eſt, ipſique novam inceptæ Congregationis Domum in Regia Civitate quod libenter admitteret, teſtata eſt; ipſe verò qui ſibi nihil, totum Omnipotenti Deo tribueret, ad ſanctæ Genovefæ Pariſienſium Patronæ ſacram Ædem profectus de accepto beneficio grates rependit.

Populorum plauſus, Procerum gratulationes, ac peculiaris Reginæ benevolentia ſervo Dei nequaquàm extulere animos: ſeculi vanitatem proterens, ac humanæ gloriæ contemptor, menſes duos ſuprà viginti Pariſiis commoratus

bis tantummodò Aulam adiit, primùm quidem, ut pro Metensibus Ordinis sancti Dominici Monialibus, bellorum injuriâ ad summam egestatem redactis, eleemosinam à Reginâ obtineret, iterùm verò ut Reverendissimum Ordinis Magistrum pro retinendo in sancti Ludovici Congregatione Generali Novitiatu, quâ apud Reginam valebat auctoritate, juvaret. Postulata est assecutus, nec difficulter.

Tot inquàm honores, Conventus sui Patrum, quos, aut Magistros habuerat, aut condiscipulos, de eo benè merendi plena studii, officiique voluntas, à naturâ cuilibet insitus amor patriæ internum, quem patiebatur animi cruciatum delinire non valuerunt: quandiù Parisiis mansit, gravatum habuit se, quodamque martirii genus passus est; pauperrimum, & ab hominum consortio sejunctum Thorense domicilium vehementiùs expetebat; eò tendebant vota, eò spectabant desideria, eò suspiria properabant.

CAPUT XXIX.

Metenses Ordinis S. Dominici Moniales visitat.

INterìm R. Patre Joanne Baptistâ *Guillerme* Congregationis sancti Ludovici Vicario Generali pietate, ac doctrinâ commendabili, repentinâ morte è vivis sublato, Reverendissimus Thomas Turcus Ordinis Magister de Antonii prudentiâ ac zelo benè conscius eum ejusdem Congregationis Vicarium instituit ad tempus, quoad novus, juxtà consuetam Ordinis formam, eligeretur.

Novâ hac auctus dignitate, Lotharingiam, pro officii sui debito, profectus est, Metenses Ordinis sancti Dominici Moniales visitaturus; hæ verò, quod fide integrâ, sincerâque mente Christo Sponso servientes, bonis operibus abundarent, Deo mente conjunctæ à secularium colloquiis abhorrerent, ac rejecto carnium usu, servatoque à festo Exaltationis sanctæ Crucis usquè ad Pascha jejunio, herbis dumtaxàt, ac leguminibus vescerentur, inexplicabilis gaudii caussam piissimo Visitatori attulerunt. Fœlix reverà cætus Virginum quibus præcipuum studium est Christi vestigia sequi,

quæque per abſolutam ſacrarum Conſtitutionum obſervantiam, ad promiſſa ſervis Fidelibus prœmia, viris permultis quandòque fortiores, contendunt.

Severioris eiſdem pœnitentiæ reliquit exemplum ; ſolum quippè panem ad cibum, ac ſolam aquam ad potum adhibuit, toto, quo Metis commoratus eſt octiduo. Expleto Viſitationis officio Moniales ad Dei amorem, ac in bono perſeverantiam cohortatus, Pariſios reverſus eſt.

Habito per id tempus Congregationis ſancti Ludovi Capitulo, novi Vicarii Generalis inſtitutione, quo premebatur onere, liberatus eſt.

Intereà Reverendiſſimus Thomas Turcus Generalis Magiſter, qui Antonium Pariſios vocaverat, ſuâque ibi auctoritate detinebat, luſtratis Galliæ, Belgii, ac Hiſpaniæ Conventibus, longioris itineris laboribus exhauſtus obiit Romæ die primâ decembris anno 1649. Tanti viri doctrinâ, prudentiâ, ac regularis diſciplinæ zelo clariſſimi mortem quo contigit momento ſupernâ revelatione cognovit, eamque maximè doluit.

CAPUT XXX.

Ex Galliâ Romam diſcedit.

UT de Succeſſore inſtituendo ageretur, convocatum eſt Romæ totius Ordinis Generale Capitulum. Tùnc ſuadentibus, nè cogentibus dixerim, qui aderant in Pariſienſi domo gravioribus Patribus, Romam tertium profectus eſt, eo conſilio, ut pro majori ſancti Ludovici Congregationis incremento, nupèr conditæ leges, ab habendo propediem prædicto Generali Capitulo firmarentur.

Relicto itàque Suppriore, quem inſtruxit conſiliis ad fructuosè regendum idoneis, habitâ, congregatis fratribus, de ſilentii, ac ſolitudinis utilitate, de neceſſario in adimplendis diſciplinæ regularis exercitiis, mentis fervore, àc de fugiendo ſecularium perſonarum frequentiori colloquio, præclarâ oratione, viſitatis de more noſtræ Dominæ, ac ſanctæ Genovefæ ſacris Ædibus, cariſſimæ Matri ultimâ, ut præ-

videbat, nunciatâ salute, fratre Dominico *Thomassin* Converso comite, Italiam versùs per Burgundiam, & Helvetiam iter intendit.

Helvetiorum Regio, ut notum est, in-tredecim Pagos, ceù Municipia dividitur, quorum septem à Catholicis, sex verò ab hæreticis incoluntur; in istis haud dictu facile, quot ludibria, quot convicia, quotvè contumelias passus sit servus Dei. Neocomensis Comitatus hæretici accerbius in eum invehebant, cum clamore, & sibilis insectabantur, lapidibus prætereuntem appetebant, ac malitiosè de rectâ viâ deducebant. Quò diverteret, qui hospitio reciperet, quo vesceretur panem sæpius non habuit. Super abundabat intèrim gaudio, persecutionem passus non deficiebat, dejectus non peribat, semper mortificationem Jesu in corpore suo circumferens, in mortem tradi propter Jesum lucrum putasset.

Lucerinum Lacum trajiciens, cùm reflante vento, vix non mergeretur Navigium, seipsum, ac vectores ab imminenti periculo suis precibus liberasse perhibetur. Præruptos Helvetiæ montes, vèl Majo ineunte altæ adeò premebant nives, ut nullum extaret hominis, feræve vestigium, gelu gliscebat accerbitas, & rigor borealis; hùc, illùc palando, à recto tramite sæpè sæpius aberrabat; non prævisо discrimine, viæ ducem nullum assumpserat. Hisce in angustiis positus, elevatis ad Cœlum manibus, brevique peractâ oratione, juvenem pulcherrimum prætereuntem vidit, quem quamvis levipes, graduque incederet pleniori, assequi non valuit: vix fuerat omni periculo liberatus, cùm ex oculis Ductor evanuit. Tùnc missum à Deo Angelum, qui præcederet, ac in viâ custodiret, internâ revelatione cognovit, Deique providentiam admiratus flexis genibus, ac profluentibus lacrymis, de tanto benefio gratias egit, quodque susceperat iter prosecutus est.

Graviora inanis gloriæ pericula pertimescens socio districtè vetuit, nè volentem nesciri proderet, suumque Parisiensis Prioratus officium manifestaret Conventuum Superioribus ad quos per viam divertisset, nè scilicet honoratius, aut lautiori cibo exciperetur.

Verùmtàmen quem ocultabat humilitas, miraculum Faventiæ declaravit. In Prædicatorum hujusce Civitatis Conventu,

quò pridiè advenerat, magnum noctu excitatum incendium ita invaluit, ut obsistente nullo, tota domus conflagrasset; clamor intereà fit totis Ædibus, ingensque fratrum trepidatio. Audit Antonius, festinanter accurrit, fusisque ad Deum precibus, ità planè cessavit incendium, ut præter timorem nihil mali passi sint Faventini Fratres: hinc laudes, hinc gratiarum actio, hinc major reverentia, hinc maxima novi hospitis existimatio, quam, ut fugeret, verecundiâ suffusus, Faventiâ incunctantèr digressus est.

CAPUT XXXI.

Ariminum advenit.

ARiminensem tunc regebat Ecclesiam Eminentissimus Cardinalis Fridericus Sforzia Patritius Romanus. Hic Avenione Prolegatum agens, ex intimo sensu Antonium dilexerat, multisque obstinxat beneficiis.

Horum memor servus Dei, priusquàm Prædicatorum Ordinis Conventum adiisset, nè amplioris Civitatis vias iterùm frequentare cogeretur, subtèr brachium manticulam manu verò dexterâ viatorium baculum, consuetâ simplicitate, tenens, reverentiæ, gratique animi causâ, Antistitem convenit, ab eoque peramantèr exceptus est.

Urget Præsul, ut propriis utatur Ædibus, gratiam hanc, ut opinor, mihi tribues, inquit, nèc haud dubiè improbabit Ariminensis Prior; gratias egit maximas Antonius; oblatum honorem modestè respuit, pronoque genu adhibitâ reverentiâ, recepit sese. Tunc Ordinis Conventum progressus, nèc propalato Parisiensis Prioris officio, benevolè quidem, & urbanicè missis tamèn verborum blanditiis, ut munerum exors exceptus est.

Vixdùm ad mensam consederat cenaturus, cùm Eminentissimus Cardinalis lautissimum epulum, in quo ciborum quadragesimalium affluentia, & nitor ex æquo certarent Parisiensi Priori misit.

Obstupuit Ostiarius, eumque non levis cæpit admiratio; at servis, inquit, hùc per errorem adfertis munus aliò portandum

portandum neque enim adest Domi Parisiensis Prior. Loquentem servi vix audiunt, subito impetu intrant, ac præsulis mandata exsequuntur. Obstupuere Ariminensis Domus Religiosi viri, quippèqui novi hospitis meritum, ac dignitatem nescirent. De celato nomine conquesti, ac curiosius adnotata, quam vultu præferebat modestiâ, ac gravitate maximo eum honore prosecuti sunt.

Quod verò postridiè multo manè esset discessurus Eminentissimum Cardinalem, unâ cum R. Ariminensi Priore iterùm adiit, ut ipsi gratias rependeret. Equisitis laudibus Antonii virtutes præsul amplificavit, nova ab eo eximiæ benevolentiæ, maximæque existimationis accepit argumenta, fidelissimum B. Patriarchæ Dominici imitatorem, ac primævi fervoris restauratorem vocavit, accensisque funalibus, nedùm ad Conventûs, verùm etiàm ad interioris cubiculi januam perhonorificè reduci imperavit. Antonius verò attonitus eo pudore suffundebatur, ut officiosis verbis humili silentio responderet.

Gravem hanc persecutionem (hoc nomine honores vocabat Dei famulus) ut fugeret, quam statuerat horam discessùs præveniens, è Civitate Ariminensi clanculum, ac si foret immanis criminis reus, ultoremque Judicem vereretur, nondùm certâ luce, obliqua viâ digressus est.

Anno itaque 1650. die secundâ Junii Romam cum advenisset, qui duobus abhinc annis, Generalis Capituli decreto, carceri fuerat addictus, maximo ab omnibus honore exceptus est; ipsi, ut potè Parisiensis Conventus Priori, cella Provinciali Hispaniæ (hic ac Capitulum non venerat infirmitate detentus) parata, adjudicata est: ipsemet Joannes Baptista de Marinis pietate, eruditione, ac mansuetudine eximius, in eodem Romano Capitulo in Generalem Magistrum electus, cum Dei famulo de totius Ordinis bono, de restituendâ ubi defecisset regulari disciplinâ, de promovendis apud infideles sacris missionibus, ac de augendâ SS. Sacramenti Congregatione sæpè collocutus, Antonii sapientiam laudavit prudentiam, ac zelum demiratus est, eique à Parisiensi Prioratu absoluto, Thorum revertendi copiam fecit. *Quin optatis tuis*, inquit, *fiat satis*, *haud quaquàm per me steterit.*

CAPUT XXXII.

Thorum regreditur.

VOtorum ſummam aſſecutus, ſuique juris quodam modo factus, die trigeſimâ Junii ejuſdem anni 1650. Româ demigrans, Thorum reverſurus, graviora iter agens incommoda paſſus eſt.

Cùm nullum Romæ accepiſſet certæ valetudinis teſtimonium, peſtemque in Inſubriâ graſſari eſſet rumor eum hoſpitio recipere detrectabant ligures, adeò ut neceſſario cibo totâ die privatus, ſubdio jejunus pernoctare ſæpenumerò cogeretur.

Nicæâ tranſiens ad Oppidum de Toudon Comitatus Nicæenſis Diæceſis Glandevenſis devenit menſe Auguſto deſinente. Ibi, viribus quantumvis exhauſtus, contemptâ æſtivi caloris intemperie, infracto ab laboribus animo, ſacram per dies quindecim miſſionem habuit, diſſidèntes conciliavit, pacem omnibus attulit. Tùnc neminem omninò, neque ætatis imbecillitas, neque cura rei familiaris domi potuit retinere. Ibi villici, relicto rure, effuſè veniebant fervidiſſimum concionatorem audituri: Ibi ſeptemni adoleſcentulo regularem in ſuâ SS. Sacramenti Congregatione ſtatum, impoſitâ ipſius capiti manu, prænunciavit. Is fuit R. P. Chriſtophorus Brun, cujus elogium videſis hjus Operis Lib. 3. Cap. 14.

Antonius intereà Thorum deveniens, ingenti civium gratulatione, populo comitante, feſtiſque puerorum vocibus Conventus ingreſſus eſt; Orphani filii, veniente amantiſſimo Patre, adeò lætati ſunt, ut revixiſſe quiſque ſibi videretur: miſcuere gaudia fletibus.

CAPUT XXXIII.

Novum Ordinem Sanctimonialium inſtituit.

De Imit. Chr. lib. 3. cap. 5.

AMor Jeſu nobilis ad magna operanda impellit & ad deſideranda ſemper perfectiora excitat; onus non ſentit, labores non reputat, plus affectat, quam valet, quià cuncta ſibi poſſe

arbitratur. Suo hæc exemplo comprobavit Antonius.

In Parisiensi Conventu Novitium agens, magna ad Dei gloriam jam tùm volvebat animo consilia. Ergà Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum mirificè affectus, ejus cultum promovere semper studuit, illud, ut fideles per vices perpetuò adorarent, vehementèr optabat, quatenùs admissæ in Ecclesiis irreverentiæ, ac Jesu Christo ab indignè sumentibus irrogatæ injuriæ, quodam modò sarciantur.

Piissimi hujus instituti initium quodam Avenione posuerat anno 1634. Magistri Novitiorum fungens officio; verum subindè tot negotiis distentus, sæpè loco mutatus, totque ad Dei gloriam, & Ordinis obsequium susceptæ peregrinationes causa fuere, cur tantum opus intermitteret.

Verumtàmen anno 1659. mense Martio, innumeris superatis impedimentis, humanâ prorsùs ope destitutus, pecuniâ pauper, sed fide dives annuente R. Domino Stephano *du Puget* Massiliensium Antistite, ab anna-mariâ, Catharinâ, & Clara-mariâ junioribus viduis assumpto regulari habitu, novum Ordinem Sanctimonialium, quibus à SS. Sacramento nomen est, Massiliæ instituit, sub regulâ sancti Augustini, cui addidit constitutiones sapientiâ, ac discretione mirabiles. Eas approbavit Summus Pontifex Innocentius eo nomine undecimus, cui placuit Confirmationis Pontificium Diploma, peculiari affectu, suaptè manu consignare.

Novum hoc Institutum in sancti Mathæi Apostoli, & Evangelistæ clientelam commisit, idcircò quod in Christi Ecclesiâ Virgines sacro velo primus inauguraverit, quodque Iphigenia Regia Filia ejus operâ virginitatem Deo voverit, atque ab Hirtaco Ætiopiæ Rege, qui eam vellet sibi dari in matrimonium occisus, virginitatis victima appellatus sit.

Prædicatorum habitum inverso ordine imitatus Institutor, talari veste nigri, scapulari verò ac pallio albi coloris novas indui Moniales peroptavit, quodque Canticorum Sponsa Sponsum roget, ut ponat eam ut signaculum super cor suum, ut signaculum super brachium suum, duobus argenteis scutulis SS. Sacramenti formam referentibus, ad cor uno, ad dextrum brachium altero, interpositâ veste, applicatis, easdem insignivit, ut scilicet Jesu Christo affectu, & opere esse inserviendum perpetuò commoneantur, ac luculentissimum

ob oculos habeant perfectæ dilectionis incitamentum.

Piissimo huic instituto tantùm benedixit Deus, ut novæ Moniales, charitate in Deum, humilitate, fervore mentis, jugi cœlestium meditatione, à vanis secularium utriusque sexus personarum colloquiis segregatæ, nedùm Massiliæ, verùm etiam in totâ Gallo-Provinciâ, ac Ocitaniâ inferiori Chisti bonus odor effectæ sint. Sacram hanc Virginum familiam, optimam commissi sibi gregis portionem Reverendissimus Henricus Xaverius *de Belzunce* Massiliensium Præsul hoc ipso tempore vocare consuevit, easque, quavis valeat ope, tuetur.

Nèc mirandum valdè, Christo adhærentes mundum contemnunt, cœlestia gustantes terrena fastidiunt, antè divinissimum Eucharistiæ Sacramentum diù, noctùque prostratæ *tantò magis ardent, quantò hinc viciniùs vident.*

Greg. Mag. Hom. 24.

Tantarum virtutum suavissimus odor, ut prænotavimus, longè, latèque diffusus est; quapropter D. Josephus Franciscus *de Roquard* pietatis eximiæ præsbiter, evocatis è Massiliensi domo tribus ejusdem Ordinis Monialibus, prudentiâ, ac regularis disciplinæ zelo conspicuis, traditâ paternâ domo assignatis amplis redditibus, Bolenæ, quæ Vindascini Comitatus, ac tricastinæ Diœcesis copiosa Civitas est, novum Monasterium excitavit, Sacellum adornavit, sacrarium, tùm vasis argenteis, tùm prætiosâ supellectili instruxit. Ipsius sorores dum eumdem Ordinem professæ sunt; vidua Mater, servato seculari habitu, exactum Monialium agendi modum, quoad vixit, secuta est.

Cæterùm in hujus novi Ordinis institutione tot fuere superanda impedimenta, ut vix animo non defecerit Antonius; at verò si quid secundum Deum, ac rectæ rationis præscriptum agere, maturâ deliberatione statuisset, id infractâ animi constantiâ prosequebatur, resque occurrebat ulla tàm ardua, tàmque difficilis, quam perficere se posse, divino fretus auxilio, non confideret; ipsi ut forti viro, crescebat animus in ipsâ rerum difficultate.



CAPUT XXXIV.

Congregatio augetur, nova excitantur domicilia.

MAgno intereà afficiebatur mœrore ſervus Dei. Favebat quidem Reverendiſſimus Ordinis Magiſter, plaudebant populi, Thorenſis Prædicatorum familiæ fama manabat quotidiè latius, verùm nonus cùm jàm annus abierit, unum dumtàxat habet Thorenſe domicilium; pauci ex aliis Provinciis adjunguntur ſocii, pauciores veniunt adoleſcentes regulari veſte induendi, adeò ùt Antonii res oblitus Deus ipſe videatut. Veretur propterea nè dilabatur cæptum opus, nevè evaneſcant hactenùs ſuſcepti labores, eò vel maximè quod Reverendiſſimus Joannes-Baptiſta de Marinis Generalis Magiſter, vir cæteroquì mitiſſimus, ac ſibi benevolus, de adſcribendo viciniori Ordinis Provinciæ Thorenſi Conventu, quorumdam rogatu, ſeriò cogitaret.

Inter hùc, ad conſuetum confugit orationis officium, Beatiſſimæ Mariæ Virginis patrocinium implorat, Sancti Patris. Dominici opem expoſcit. In Avenionenſi Conventu quò negotia vocaverant, antè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum noctù, perſolutis matutinis, poſtratus, Chriſto dùm peramantèr conqueritur, ſuperna hæc ipſi vox inſonuit *Nonne tibi ſum pluſquam centum domus?* Hoc audito reſponſo, vehementèr obſtupuit Dei famulus, ingentique pudore oppreſſus *Utique Domine Jeſu*, inquit, *tu mihi es omnia*, *præter te nihil ampliùs velim.*

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, *qui nèc tribulationes*, *nèc jucunditates ſinit habere perpetuas*, *ſed tùm de adverſis*, *tùm de proſperis juſtorum via admirabili varietate contexit!* Deus inquàm, qui humiliat & ſublevat, afflictum à mœrore Antonii animum erigit, ingentemque ipſi, novis beneficiis, addit alacritatem. Augetur inſtituta Congregatio, bonæ ſpei adoleſcentes ad ſpiritualem militiam dant nomina, creſcit Novitiorum numerus, nova excitantur domicilia. S. Jean Chr.

Rmus D. Ludovicus *de Fortias* Avenionenſis, ex Epiſcopali Cavallicenſi Sede, ad Carpentoractenſem, tranſlatus, quibus agebatur ſalutis animarum ſtudio, ac paſtorali ſolli-

citudine, apud Saltum per antiquam Superioris Gallo-Provinciæ Civitatem novam domum anno 1658. ædificandam curavit, eo consilio ut, quæ in eamdem Civitatem recens obrepserat Calvinianam hæresim, aut præfocaret Antonius, aut tantùm malum, verbi Dei præconio, procùl à Diæcesis finibus depelleret.

Grassabatur tùnc temporis in Aquissextiarum partibus eadem Calviniana pestis, viresque acquirebat eundo. Turbulenta multorum ingenia novitatis amor occupabat. Prophana ab Hæreticis Templa ædificabantur, certum habebant, fixumque domicilium errorum Administri, palàm concionabantur, in manifesto versabatur vera, ac Catholica fides.

Ad hanc itàque debellandam hæresim, & coërcendam Ministrorum audaciam, Antonium pugilem fortem, ac intrepidum veritatis deffensorem anno 1660. destinavit Eminentissimus Cardinalis Hyeronimus Grimaldy Aquensis Archiepiscopus, ac præ cæteris suæ Diœcesis, Civitatibus, Oppidum *de Cadenet*, quippè quod ad perficienda cogitata, aptius visum sit, delegit, ibique, tùm suâ, tùm Illmi Andreæ Marchionis *d'Oraison* ope, nova domus à fundamentis erecta est. Cadenetensem Prædicatorum familiam in suam fidem recepit prælaudatus Cardinalis, eamque, maximâ, quâ valebat auctoritate, juvit, quotiès se daret occasio.

Elapso quadriennio, anno scilicèt 1664. Reverendissimus Claudius *de Ruffier*, ex Cisterciensi Monacho factus Episcopus Tricastinus, audiens, quæ de Antonio, ejusque sociis mira dicebantur, datis litteris Dei famulum, Thori degentem, accersiit, eique per solemnes sacræ Quadragesimæ dies in suâ Cathedrali Ecclesiâ, verbum Dei prædicandi munus injunxit.

Præsentia auxit famam. Antonium Apostolico zelo quotidiè concionantem audivit Præsul piissimus opere ac sermone potentem pronunciavit, victusque asperitatem modestiam, humilitatem, ac temporalium bonorum contemptum demiratus, nullâ interpositâ morâ, emptâ, proprio ære Areâ ampliori, tùm ad extruendam domum, tùm ad hortum olitorium ordinandum idoneâ, concessâque à venerabili Capitulo Ecclesiâ extrà Civitatis mœnia positâ, novi Conventus fecit initium, ut quod Vindascinus Comitatus, ac Gallo-

Provincia bonum possidebant, eodem itidèm bono Delphinatus perfrueretur.

Anno 1672. Rmus Ludovicus Alphonsus *de Suarés* Avenionensis, ob virtutum, ac meritorum insignia, antè tempus à sacris Ecclesiæ legibus præstitutum, Vasionensis Episcopus ordinatus, ut ovium sibi commissarum saluti prospiceret, totamque Diœcesim à pestiferâ gliscentium hæresum labe immunem servaret Vasione, quæ Vindascini Comitatus perantiqua Civitas est, ad habendas tùm apud Hæreticos, tùm apud Catholicos sacras missiones Antonio, ejusque sociis domum extruendam curavit, eosque, quò citiùs perficeretur, decuniâ juvit.

Sextam apud Oppidum de Bedoin ejusdem Vindascini Comitatus, ac Diæcesis Carpentoractensis cœperat domum ædificare, at verò morte præventus hujus perficiendæ curam R. Patri Joanni Francisco Bernard, in Vicarii Generalis officio successori reliquit. De his, ac de Avisanensi, à Servi Dei obitu, extructo domicilio, vel etiàm de Diensi domo à Tolosana Provinciâ ad sanctissimi Sacramenti Congregationem à Reverendissimo Patre Antonio Bremond Ordinis Magistro nupèr translatâ, fugiori narratione dicam in generali ejusdem Congregationis historiâ, propedièm, si mihi vita contigerit, conscribendâ.

CAPUT XXXV.

Antonius informandis Fratribus totus incumbit.

QUoniam ad regularis cujuslibet instituti firmamentum, nequè illud quidèm satis est, Domum Domui adjungere, nisi has, qui incolunt Domos Religiosi viri, institutoris mentem assecuti: sancitis legibus pareant, & ad præstitutum finem pervenire sedulò adnitantur, Antonius informandis fratribus, tùm publicis, tùm privatis ad locutionibus, datis litteris, voce, exemplo quovis possit modo, totus incumbit, ut quæ largâ manu spiritualia bona à Deo suscepit, in alios transfundat, àc curæ suæ commissi fratres religiosis moribus imbuantur. Arch. Gabr. tom. I. pag. 379. & alibi.

In tribus, inquit, paupertatis, castitatis, ac obedientiæ votis regularis instituti summam consistere nemo non-scit; verumtàmen qui sancitas Ordinis sui leges parui pendet, easque volens, ac lubens, seclusâ necessitate, prætergreditur Religiosi viri nomine, ac titulo immeritò gloriatur, nèc probus admodùm dicendus est, nequè perfectus; idcircò quod voluntati Dei, à quo vocatus est, non respondeat, datam religioni frangat fidem, nèc promissis stet; prætérquàm quod Spiritus sancti hæc verba sunt *Qui spernit modica, paulatím decidet.* Eccli. 9.

Decurrente tirocinio, ac emisŝâ professione per annos aliquot acquirendæ perfectioni, vel sedulò studuisse, sat nemini esse debet; ut quisque ætate progreditur, debet in virtutis studio proficere, virtus enim boni operis, ut monet Gregorius Magnus, perseverantia est. Hom. 25. in Evang.

Illud urgebat in primis, nè scilicèt vitæ commodis nimiùm servientes, ac delicias amantes, corpus christianæ pœnitentiæ inimicum, proindèque omni asperitatum genere cruciandum blandiùs haberent, qui enim mundo valedixerit, à sensuum voluptatibus tenetur abstinere, annique decem ab ejus vitâ detrahentur, qui detuendâ valetudine plus nimio fuerit sollicitus. Quod usu compertum habeo (credat qui velit) promptior è morbo evadendi ratio est levioribus infirmitatibus non lenocinari, &, quò citiùs quis poterit, communem victum sequi: alia secularium, alia sunt religiosorum virorum remedia, illi delicatiori, isti austeriori cibo, àc mentis fervore citiùs convalescunt; eàpropter fratres suos ad qui venerint frequentèr recogitare, cum sancto Bernardo hortabatur; parùm namquè sit, omnia reliquisse, nisi inter relinquenda vos numerare memineritis.

Ordo Prædicatorum (prosequitur Antonius) unum Mariæ, alterum Marthæ complectitur officium. Instituti hujus vota professi, non suæ tantummodò, verùm etiam proximorum saluti (quo profectò gloriosius nihil, nihil utilius sit) ut consulant, status ratio postulat; non mediocris idcircò culpæ reus est, qui non prædicat, prædicare cùm possit, nèc facilè Regnum Cœlorum solus ingreditur, qui, abscondito talento, ad Regnum Cœlorum proximos ducere, ex neglectu, contemnit; concionatores idcircò frequentèr monebat,

nebat, ut Cellæ addicti, nèc ultro citròque cursantes, aut orationi, piisque meditationibus vacarent, aut sacræ scripturæ libros, Sanctorumque Patrum volumina studiosè perlegerent, quatenùs sanctioribus disciplinis eruditi, populos edocerent publicè, quæ privatìm didicissent.

Quod dispersi sint lapides Sanctuarii in capite omnium platearum vehementèr dolebat servus Dei; quapropter, ut perrarò in publicum venirent curæ suæ commissi fratres diligentèr attendebat, eorumque è Claustro exitum Sancti Ludovici Bertrandi Valentini Conventus Prioris exemplum secutus, urgente duntaxat necessitate, permittebat: *Miraculum*, aiebat cum sancto Gregorio Magno, *sit populis visa in publico persona Pastoris*, graviorique de causâ, visa persona religiosi viri, quippèqui mundo nuntium cùm remiserit, solitudinem amore plùs cæteris debeat. In 1. Reg. cap. 16.

Nullâ urgente causâ Parentes invisere, ad eos frequenter litteras dare, eorum negotiis implicari, res novas curiosiùs inquirere vitio tribuens, hæc Sancti Cypriani verba sæpius repetebat *considerandum est, fratres dilectissimi, & identidèm recogitandum renunciasse nos seculo, & tanquàm hospites, ac peregrini hic interìm nos degere; Patriam nostram Paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cæpimus, quid non properamus, & currimus?*

CAPUT XXXVI.

Susceptam institutionem continuat.

TRaditis quæ ad privatæ vitæ rationem pertinent documentis, ad ea progreditur quæ Prælatis in regendo, Concionatoribus in Prædicando, Confessariis in fidelium confessionibus audiendis, Procuratoribus, ceù Syndicis in bonis temporalibus administrandis, vel etiam laïcis in conquirendis eleemosinis maximè conveniant.

Prælati, inquit cum Sancto Augustino, non potestate dominante, sed charitate serviente fœlices existiment sese; in obeundis commissi muneris partibus ad majorem Dei gloriam actiones suas omnes, cogitationes suas omnes, omnia

concilia sua referant; caveant in primis, nè obtentâ Dignitate, superbiant: periculosam mentis elarionem fugient, si quantò in loco superiori, tantò in majori periculo versari meminerint, ac judicium durissimum his qui præsunt esse faciendum mente recogitaverint. Ut salutifera adhortationum, àc piarum adlocutionum subjectis sibi fratribus præstent alimenta, debent ipsi orationis spirituali Pabulo enutriri. Non tàm ex victus asperitate, ac spontaneis corporis afflictationibus, quàm ex sincerâ humilitate, ac promptiori obedientiâ eorum profectum metiantur, oportet. Exemplo magis, quàm verbo ad disciplinæ regularis observantiam pertrhaere adnitantur; tanta autem dispensatione, ut monet S. Augustinus, temperent se, ut nequè cum erigunt se, intrinsecùs rigidi fiant nequè cùm se humiliant, extrinsecùs remissi, quià & in disciplinâ humilitatem, & in humilitate disciplinam custodire fructuosi regiminis ratio postulat. Non-asperè, non duritèr, non modo imperioso subditos emendent, & corrigant; magis docendo, quàm jubendo; magis monendo, quàm minando vitia tollant. Timeant cæterùm, nè si plus nimio velint hominibus placere, Christi servi non sint. Quoniàm, monente Gregorio Magno, *Juvenes etiàm rectè sapientes, non debent incautè ad prædicandum prosilire*, caveant diligentissimè Priores, nè Confessarii, aut Concionatoris officium committant, nisi fratribus moribus, ac scientiâ probatis, nè imperitiâ ministrantium vergat in perniciem animarum.

Aug. ep. 64. ad Aurel.

Greg. Mag. lib. 10. Mor.

Quod omnium divinorum divinissimum sit, ad æternam animarum salutem cooperari, ut docet S. Dyonisius, Concionatores adhortabatur, ut Dominum nostrum Jesum-Christum absolutissimum Prædicatorum exemplar præ oculos habentes, ipsum imitari, eique sincerâ charitate adhærere niterentur, neque vellent adulatorio Sermone, aut humanâ sapientiâ hominibus placere. *Laudem namquè de prædicatione quærere, est rem magnam vili prætio vendere.*

Greg. Mag. lib. 2. super Ezech.

A Prædicatoribus (eosdem alloquitur) non de propriâ tantummodò vitâ, sed de aliorum etiam salute ratio reddenda est; illas propterea à vobis virtutes requirit Deus, quæ ad multorum salutem procurandam necessariæ sunt, atquè utiles, humilitatem, scilicet, Apostolicum zelum, modestiam, laborum tolerantiam, temporalium bonorum contemp-

tum, tecti humilis, ac cibi vilioris amorem, ut hoc facientes, & vos, & qui vos audiunt ſalvi fiant.

Perſecutiones, & convicia pati, Catholicam fidem defendere, ejuſque causâ, ſanguinem fundere, ipſamque mortem, ſi ſeſe occaſio dederit, oppetere, exemplo S. Patris Dominici, parati ſitis oportet.

Ut arduum (ejuſdem Antonii verba ſunt) itâ fructuoſum eſt, quodque augendæ pietati, ſerendiſque virtutibus plurimùm valeat, Confeſſariorum officium: privatìm prædicantes, à turpi vitâ ad emendatiorem peccatores traducere, in arduâ ſalutis viâ juſtos confirmare, conſcientiæ ſtimulos tollere, afflictos conſolari, auxiliante Dei gratiâ, facilè poſſint, ſi moralem Theologiam apprimè edocti, quibus par eſt prudentiâ, & charitate ſuo munere perfungantur; ipſorum propterea eſſe debet agendi ratio ab omni perſonarum acceptione aliena; culpanda namquè perverſitas ſit ſi pauperibus divites, ac plebeis nobiles in audiendis confeſſionibus prætulerint qui æternam omnium ſalutem indiſcriminàtim procurare tenentur. Cùm modeſtiâ, ac manſuetudine de vitiis, evangelicâ libertate, redarguant; nèc nimiam ſeveritatem adhibeant, nèc præpoſterâ indulgentiâ emolliantur. Oleum, & vinum inflictis vulneribus infundant, ut efficaciùs ægroti ſanentur. Ut pernicioſam avaritiæ labem Confeſſarii effugiant, nullaque de ipſis poſſit eſſe ſuſpicio, à munuſculis recipiendis cautè abſtineant.

A bonorum temporalium adminiſtris regularis diſciplinæ relaxationem potiſſimùm dimanare Antonius judicabat; in obeundo munere nimiâ plerumquè utuntur libertate; è Clauſtro egredi ipſis liberum eſt; ſpecioſo ſervandæ, vel etiàm augendæ rei familiaris obtentu, ſpirituale bonum non ſatis curant, à ſancitis legibus (quæ humana fragilitas eſt) facile recedunt. Eos diligenter Prælati obſervent, oportet. Syndici, ceu Procuratoris eis dumtaxàt committant officium qui ſapientiâ judicio, ac modeſtiâ præſtent, quique Ordinis legibus accuratè pareant, aberranteſque ſenſus identidèm ſtudeant revocare.

Nè verò Clerici, aut Sacerdotes à ſacrarum litterarum ſtudio, aut verbi miniſterio averterentur, tot in qualibet Domo Converſos poſuit, quot obeundis domeſticis muniis,

ac errogandis ostiatim elemosinis sufficerent; hos porrò hortabatur frequentissimè, ut modò hùc, modò illùc discurrentes, dimissis vanis colloquiis, aut orarent, aut divina meditarentur; ut nemini essent oneri, repulsam æquo animo paterentur, communique cibo essent contenti. Vobis, aiebat, legis mysteria pro concione explicare, confitentibus aurem præbere, cæteraque ecclesiastica obire ministeria per statum non licet; verùmtamèn bono virtutum exemplo, ferventiori prece, servatâ modestia, ac humilitate, piisque collocutionibus Ecclesiæ utiles esse ac æternam proximorum salutem procurare vobis integrum est. Vitia, errores, pravos hominum mores sermone consectari Concionatorum, oratione verò, ac jejunio peccatorum conversionem à miserante Deo obtinere vestrum est. Doctores eximios, Concionatores eloquentiâ insignes, si careant humilitate, & inanem gloriam aucupentur, excelsus Dominus à longè cognoscit; quandòque fit, ut qui proveniunt ex publicâ concione spirituales fructus, Concionatoris eloquentiæ minùs, quàm Conversi socii ferventioribus precibus tribuendi sint. His aliisque benè multis diversarum virtutum præceptionibus, quas prætereo, nè longior sim, institutæ Congregationis fratres Antonius informare nitebatur.

CAPUT XXXVII.

Sacris Missionibus dat operam.

PRæcipuus est ordinis FF. Prædicatorum finis sacras Missiones habere, ac æternam proximorum salutem verbi ministerio procurare.

Saluberrimi officii hujus memor Antonius, auctâ Congregatione, eruditis ad regularem disciplinam fratribus, ac virtutum omnium præsidio munitus, verbi Dei prædicationi se totum dedit.

Tunc augendæ pietatis, ac dilatandæ fidei apostolico ardore succensus, nullum, ut infrà patebit, vitabat periculum, nullum horrebat supplicium, & si millies posset mori, non putavit æternam gloriæ coronam posse se aliquâ ratione promereri.

Profligatâ in toto Galliæ Regno Calvinianâ hæresi, Turcicum Imperium ad christianam fidem, & Romanæ Ecclesiæ obedientiam traducere, Mahumetanorum delubra in sacra christianorum templa commutare, ac Christi Domini crucem, dejecto crescentis Lunæ signo, Constantinopolitanis arcibus reponere, propriæ etiàm vitæ periculo, vehementèr optasset vir desideriorum. Audito apud Sinenses Evangelii progressu, ac Nannetensis Edicti recissione, summoperè gavisus est. Hæc Congregatis fratribus Lætabundus nunciabat. Si quem in Japoniæ Imperio, aut alibi, pro Christianâ fide sanguinem fudisse audivisset, invidebat, quodque tanto honore prorsùs indignum reputaret se, profusis lacrimis, afflictabatur.

Exteras, ut olim B. Patriarcha Dominicus, adire nationes constituerat; verùm viciniores Vindascini Comitatus. Ocitaniæ inferioris, Gallo-Provinciæ, Delphinatus, Cebennarum, vel etiam Genevensis Agri regiones copiosam ei messem obtulerunt. Probat propterea novos milites Dux, confirmat pavidos, desides adhortatur, omnibus facit animos, opem B. M. Virginis, cui datum est cunctas hæreses in toto mundo interimere, enixis precibus implorat, ipsius Sacrum Rosarium, utpotè singulare ad vitia extirpanda præsidium, ingenti mentis fervore prædicat, nihilque prætermittit, quod hæreticos ad fidem, peccatores verò ad pœnitentiam alliciat. Discurrit, festinat, utque celeriùs à culpâ reviviscant, nunc quasi vicinam mortis foveam ostentat, nunc appropinquantem iratum judicem denunciat, præcipitùm ostendit, gehennam comminatur, quodque erroris administri multos veræ fidei lumen recipere cupientes minis deterreant, ac sacrarum Ædium aditu prohibeant, non in Ecclesiis tantummodò, verum etiam in ipso platearum medio concionatur.

Quodvis Oppidum vespertinis horis ingressus, nullâ interpositâ morâ, nèc præviâ fatigati corporis requie, ad Ecclesiam rectò adit, ac, annuente Parocho, datoque æris campani signo, suggestum conscendit concionaturus. Tunc effusè veniunt cives, relictâ cœnâ, servum Dei verba facientem audituri, nèc extrà culpam esse credunt, si, vel uni ex Antonii concionibus non interfuerint.

Cæterùm minimè fucatæ eloquentiæ vir, non ineptos populi plausus, non vanam facundiæ commendationem, sed

ſinceram audientium converſionem aucupatur, eo mentis fervore, ut peccati odium, ac virtutis amorem ipſorum cordibus ingeneret, divinique amoris ignem undique ſpirare videatur. Uberes lacrymæ, alta ſuſpiria, iterati gemitus, & antè actæ vitæ deteſtatio Antonii concionem ſequuntur: defixis humi oculis, ac ſibimet irati diſcedunt, qui audierint, vel etiam ſeſe ad ejus pedes abjiciunt, ut de tota vitâ confiteantur.

In unam, & alteram Lurmarinam, ac Vallis aquarum Regionem irrepſerat Calviniana peſtis, ac turbulenta quorumdam ingenia novitatis amor occupaverat. Illùc clanculum veniebant errorum Miniſtri, univerſas domos ſubvertebant, docentes quæ non oportet, aut turpis lucri gratiâ, aut cæco falſæ religionis zelo; quodque pravis doctrinis Catholicos imbuerent, à rectâ fide permulti recedebant, ac in manifeſtum veniebat diſcrimen cæterorum fides.

In tantâ rerum perturbatione, totque ingruentibus malis, illùc, ſpeciali Eminentiſſimi Cardinalis Grimaldy Aquenſium Archiepiſcopi mandato advolavit Antonius, Miniſtrorum audaciam retudit, errorumque tenebras clariſſimâ ſacrarum ſcripturarum luce, veterumque Patrum ſententiis depulit, quodque Calvinianâ hæreſi nondùm vitiatos in rectâ fide retinuerit, eoſque qui ſeſe Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ejuſque ſupremi Paſtoris obedientiâ ſubtraxerant, ad eamdem fidem revocaverit, prædictarum Vallium Apoſtolus dictus eſt, factuſque eſt prælaudato Cardinali cariſſimus.

Calamitatem indigniſſimam ſubiit provinciæ Delphinatus, ac Diæceſis Vapincenſis Oppidum *de Montbrun* anno circitèr 1652. hujuſce loci Dominus, ſtirpis antiquitate clariſſimus, ac nobiliſſimis totius pænè Provinciæ familiis, per antiquâ affinitate conjunctus, incautè, aut curioſè lectis libris Genevæ impreſſis, quique falſas de rebus fidei ſententias continerent, tremendo Dei judicio, è Catholico, hæreticus Calviniſta de repentè effectus eſt. Exin ſævientibus hæreticis apertè ſuffragatur, errorum adminiſtros advocat, paſſis ulnis, porrectiſque brachiis cujuslibet inſtituti apoſtatas excipit, perantiquum veteris Religionis morem abolere nititur, adeò ut Oppidum *de Montbrun* minoris Genevæ in hac totâ Regione nomen obtineat; quodque auctoritate plu-

rimum valeat, nisi citò citiùs ad calvinianas partes transierint subditi cives, bonorum spoliationem, vincula, carceres, ipsamque mortem comminatur; hi verò qui vitam potiùs perdant, quàm fidem, gravissam hanc persecutionem passi, Antonii opem implorant.

Novam hanc profligandæ hæresis, ac tuendæ fidei occasionem nactus servus Dei, prædictum Oppidum *de Montbrun* fidentèr ingressus, in ipso amplioris plateæ medio ligneam Crucem extulit, ad ipsam quotidiè sæpiùs per duos menses, de controversiis orationem habuit, hæreticorum fautori illàc transeunti, nèc ferocientis viri auctoritate deterritus, Apostolicâ libertate, Apostasiam exprobravit, eo successu, ut, auxiliante Deo, titubantibus Catholicis in debitâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiâ confirmatis, permultos pestiferâ pravarum opinionum labe inquinatos, ad rectam fidem revocaverit.

Maxima Antonii, ac Sociorum hæc laus est, quod aliquot post annis, eorum operâ ac studio profligatis erroribus, vix hæreticorum unus ibi inventus sit, ejusque nobilis viri, qui eamdem ditionem *de Montbrun* substitutionis jure possidet, religione, ac pietate, antecessorum excessus abundè compensentur.

CAPUT XXXVIII.

In Oppido de Merindol sacram missionem aggreditur.

EXtat in Gallo-Provinciâ, ac Diæcesi Aquensi, ad ipsos Vindascini Comitatus fines Oppidum *de Merindol*, ad prærupti montis declive positum; hunc in locum, utpotè munitiorem, adituque perdificilem, excusso Regiæ potestatis jugo, abjectisque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ legibus, olim perfugerat Valdensium hæreticorum manus.

Decurrente seculo decimo-sexto, nèc relictis erroribus pristinis, sacrilegis Calvini commentis ad unum omnes adhæserunt: nec Franciscus Primus Galliæ Rex, magno quamvis flagraret Catholicæ Religionis studio, pertinaciam frangere, neque Aquensis Senatus, sancitis legibus, valuit fanaticorum

ſuperbiam ſuperare. Robuſtiori improbitate domorum deflagrationem, ipſamque mortem errorum abjurationi anno 1545. permulti prætulerunt.

Reædificatæ ſunt intereà Domus, ac iteratò frequentatum eſt Oppidum incolis, qui nèc patribus meliores rem falſam pervicaciùs tuerentur.

Hos, urgente Chriſti charitate, ab errorum tenebris revocare, ac ſylveſcentis in dies agri, divinâ fretus ope, vepres revellere cum ſit aggreſſus Antonius, eamdem obſtinationem, ceù potiùs ferocitatem commonſtrarunt Valdo-Calviniſtæ Merindolani: infeſtis oculis advenientem intuentur, ædium aditu prohibent, tectum denegant, intrà Oppidum pernoctare non patiuntur, periculum denunciant, mortem comminantur.

Quod hæc Apoſtolici viri zelum non modò non minuant, quin potiùs augeant, quodque pro fide mori lucrum credat, præmiſſis precibus, ac jejuniis, adjunctis ſociis tribus, ac plurimis è viciniâ advocatis Catholicis comitatus, prædictum Oppidum, veræ fidei præconibus hactenùs impervium, multò manè intrepidè ingreſſus, in prominentiori loco ſanctæ Crucis vexillum extulit, extructo, ac decentèr ornato lignario Sacello ſacrum fecit, ſollemnem ingenti apparatu habuit ſupplicationem, ac Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum manu tenens, velut Joſuè Arcam Domini, Urbem Jericho, profanum ſcilicet Calviniſtarum Templum, ſacros hymnos concinens circuivit, ardentiori zelo concionatus eſt, ac ſacram per multos dies habendam miſſionem denunciavit.

Lætantibus advenis, indignatione commoventur hæretici cives, debachantur, furuntque: quod verò Regiam poteſtatem, ac pœnarum ſanctionem vereantur, ab omni contumeliâ abſtinent, moleſtiam diſſimulant, ſuum intrà ſe animi dolorem taciti premunt, ac illatæ, ut vocant, injuriæ ultionem in aliud tempus remittunt

Fervidiſſimi Miſſionarii præſentia hæreticorum manus quodammodò vinciebat, dicentem oderant, cujus animi magnitudinem, nullo infringendam periculo mirabañtur; at verò, ut primùm abierit, erectam crucem dejiciunt, conculcant, in fruſta diſcindunt, igne conſumunt. Nèc inultum dimiſſum eſt ſacrilegum facinus: exſcripta totius rei geſtæ Acta, Aquenſis

Aquensis Senatus judicibus missa sunt ; quodque, rogatu hu-
mili, nècnon amicorum favore Antonius impediat, quomi-
nùs reorum culpa sanguinis effusione puniatur, exilio alii, alii
mulctâ affecti sunt, edicitque sollemni judicio summa Curia,
ut novam Crucem dejectæ persimilem, propriis impendiis eo-
dem loci quantociùs statuant hæretici, prohibuitque sanc-
tione capitis, nè-quis eam disturbare auderet inposterùm.
Hujus Sententiæ, ipsi Cruci affigendæ, executio Merindo-
lanis Consulibus demandata est.

Nèc propterea nefarii cohibentur hæreticorum conatus ;
Cadenetum, incumbente nocte, regredientem servum Dei
ex insidiis adoriuntur, conviciis afficiunt, impostorem vocant,
fustibus dirissimè cædunt, adeò, ut propriùs nihil factatum sit
quàm ut occideretur ; ipse verò ad imitationem Christi capi-
tis toleravit opprobria, sustinuit irrisiones, flagella non ti-
muit, delectabat, quicumque eum propter Evangelium vul-
nerasset. Ad nova subeunda certamina, divinâ ope servatus,
quâ manibus, quâ pedibus reptans, cadenetum gaudens re-
versus est.

Aquissextiis tùnc aderat Anna Austriaca, Galliæ Regina
cum regio filio ; quas Antonio moliebantur insidiæ Merin-
dolani, ipsam non latuere ; servum Dei verberibus contusum,
ut primùm audivit, horruit, tantoque facinore indignata,
qui agros *de Merindol* sale seminatos, steriles facerent, qui-
que, aut domos everterent, aut concremarent mittere prestò
fuit, quodque animo constituerat, perfecisset profectò, nisi
vincens in bono malum servus Dei, Reginam incunctantèr,
æger licet, cum adiisset, ab eâ in genua Pronus obsecratione
humili, ut sententiam mutaret, obtinuit.


Quem Parisiis benè noverat Regina, comitèr admodùm
Aquassextias venientem excepit, cum ipso aliquandiù est
collocuta, quodque illatam à Merindolanis atrocem inju-
riam usque adeò remitteret, ac remittendam curaret, mag-
na sibi incidit admiratio. Aulicis coràm sanctum appella-
vit. *Aureas cruces aliis petentibus*, inquit, *vir iste Sanctus
repositâ in Oppido de Merindol cruce ligneâ contentus est.* Regio
filio, cui Parisiis benedixerat voluit, ut iterùm benedice-
ret Aquissextiis discessurus, totiusque Regni fœlicem statum
suis precibus commendavit.

CAPUT XXXIX.

Regiâ poteſtate tutatur, Miſſionarius Apoſtolicus inſtituitur.

INtereà Galliæ Rex chriſtianiſſimus Ludovicus decimus-quartus, Calvinianæ pravitatis inſectator accerrimus, catholicâ fide, æquè ac Regiâ poteſtate, ac heroïcâ fortitudine verè Magnus, quod Antonius, ejuſque ſocii in diſcrimen venirent apud hæreticos, quodque contumeliis affici, ac in habendis miſſionibus impediri audiviſſet, ut eorum ſaluti proſpiceret, Diplomate regio, præmiſsâ præconis voce. in publicâ cujuslibet Civitatis, aut Oppidi plateâ affigendo, omnibus, & ſingulis Curiarum ſuarum Judicibus diſtrictè præcepit, ut opem omnem, ac favorem Antonio, ejuſque ſociis præſtarent, prohibuitque capitalis pœnæ ſanctione Calvinianæ ſectæ Adminiſtris, nè verbo, aut facto, ceù minis, vel alio quovis modo, à Miſſionariorum publicis concionibus, aut privatis colloquiis quemquam retrahere pertentarent. Datæ ſunt hæ litteræ Aquiſſextiis anno 1660. die decimâ-quartâ Martii.

Sed, & Summus Pontifex Alexander, eo nomine ſeptimus, de Evangelicis Antonii laboribus, ab Eminentiſſimo Hyeronimo Cardinali Grimaldy Aquenſium Archiepiſcopo, àc Reverendiſſimo Joſepho Mariâ de Suares Vaſionenſium Præſule certior factus, ſummoperè lætatus eſt, ac Brevi Apoſtolico continuandæ contrà hæreticos miſſionis eum Præfectum inſtituit, cum omnibus privilegiis, ac poteſtate, quæ apud Infideles Miſſionariis tribui ſolent. Subſecutum eſt ſuper his anno 1662. die ſeptimâ Decembris Sacræ Inquiſitionis Generalis de Propagandâ Fide Decretum, eamdemque gratiam conceſſit Antonio Clemens Decimus Alexandri Succeſſor.



CAPUT XXXX.

Intermissam in Oppido de Merindol sacram missionem repetit.

POntificiâ, vel etiàm Regiâ auctoritate munitus Antonius, qui cæteroqui, ut prænotavimus, pro fide mori haud quaquàm interire crederet, sed gloriosam sibi immortalem parare, redintegratâ sanitate, ac resumptis viribus, novo animi fervore, novoque profligandæ hæresis studio, Merindolium regressus est.

Ibi, ut firmiùs consisteret, comparatâ ampliori Domo, structoque, ac congruentèr ornato Sacello sacrosanctum Missæ Sacrificium, reclusis foribus, palàm exequitur, Divinum Officium diù noctuque cum Sociis, altâ voce, & alternis vicibus persolvit, Catholicis, qui ex vicinis Oppidis venerint, rectè vivendi præcepta tradit, aurem præbet confitentibus, Sanctissimum Christi Corpus impertitur, eosque qui, abjuratâ hæresi, ad veram fidem redierint, factâ sibi à Summo Pontifice potestate, reconciliat.

Hoc, vel ipso tempore, indictâ Provinciali Synodo Merindolium plures venerunt Calvinianæ hæresis Administri, ut quod bonum semen seminaverat Antonius, aut impedirent, aut zizania super seminarent : hi porrò, quos ille ad fidem, ac Romani Pontificis obedientiam adduxerat, tùm publicâ concione, tùm privatis colloquiis pervertere, vel etiam hæreticos in malo confirmare, intentis viribus nitebantur.

In armis stetit, nèc ab acie recessit Christi miles, cumque potens esset exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicebant arguere, hæreticorum errores confutare, Catholicum Dogma evincere, captiosa Calvinistarum effugia refellere tantâ virtute, ac efficaciâ cæpit, ut à miserabili errore, ad rectum fidei, ac salutis iter permulti revocati sint; multi verò, cùm indurarentur, & non crederent, maledicebant ei.

Neminem porrò insectabatur Antonius, aberat à concionibus, & colloquiis verborum asperitas, aberant improperia, àc quærimoniæ; ingenii, quâ pollebat mansuetudine, om-

nibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret; Bellum faciebat, non ut provocaret, sed ut converteret.

CAPUT XXXXI.

Genevam versus progreditur.

GEneva Civitas in ipsis Helvetiæ, vel etiam Germaniæ faucibus posita, venalium commercio florens divitiis affluens, priscâ civium pietate celebris, quod fugato Pastore, ac dispersis ovibus, à recta fide & Catholicâ Religione desciverit, æternam subiit ignominiæ labem

Illùc Sanctus Franciscus Salesius, boni Pastoris functus officio, non semèl profectus est, ut errantes oves ad caulam reduceret, hùc anno 1667. quâ mox dicam occasione, adire Antonius constituit.

Habitâ itaquè in hac Avisanensi Civitate sacrâ Missione, Vindascini Comitatus, Gallo-Provinciæ, Delphinatus, Helviorum Velaunorum, Gabalorum, ac Cebennarum regionibus, sex annorum spatio, magnâ ex parte, peragratis, dùm post Missæ sacrificium in gratiarum actione remaneret, repetitam hanc audivit cœlitus vocem, *Genevam adorire*, *Genevam adorire.*

Quod sacra expeditio hæc ipsi in mentem hactenùs non venisset, obstupuit, ac inexplicabili gaudio repletus Geneventium conversionem vehementiùs explorare jam cæpit, quodque tarda molimina nesciat Spiritus sancti gratia ad peragendum longius iter illicò accinxit se.

Intereà, ut à suscepto concilio detereat amicorum quisque tantùm nititur, quantùm potest; provectam ætatem objiciunt, denunciant pericula, difficilemque aditum exagerant; at, inquiunt, catholicæ Religionis causâ Missionarios non paucos Genevenses hæretici martyrio affecere, itanè vitam contemnis, ut mortem non timeas?

Sed frustrà. In socium assumpto R. Patre Archangelo Gabriel pietate, doctrinâ ac zelo in primis commendabili, viam longiorem iniit pede, absque viatico lætus progressus est, emendicato pane victitans sexagenario major.

Celebre Montis floridi, Ordinis S. Patris Dominici Monasterium (Gratianopoli non longè distat) eundo, ac re-

deundo, cùm inviseret, ad regularem observantiam, ac Dei amorem vivis adhortationibus Moniales excitabat, easque monebat assiduè, ut rerum caducarum pertæsæ, cœlestia bona tantùmmodò desiderarent ut silentio, ac orationi impensè vacantes, secularium personarum frequentiores aditus, ac colloquia fugerent, & ut erat ipse demissione animi, victusque asperitate conspicuus, ità eisdem eas virtutibus informare nitebatur.

Nobiles Virgines, quæ viri sanctitatem benè noverant, ut boni operis fierent participes, necessarios sumptus, tùm alendis Missionariis, tùm adornando luminaribus sacello, ubi ubi sacram missionem peregisset, per annos decem, alacri animo suppeditarunt.

Ut Genevensem Regionem vidit, Jesum-Christum, quem non dirutæ furentibus hæreticis sacræ Ædes Sacramento Altaris continerent, genuflexus, ac nudato capite adoravit, erectisque ad Cœlum manibus, tenero affectu, & Apostolico zelo succensus *Adsis mihi Domine Jesu inquit, corporeis audientium auribus ipse loquar, tu loquere menti, cordi tu loquere ut discusso errorum nubilo, te audiant, qui veritas es, te sequantur, qui es via: Plantabo ipse, ipse rigabo, nequè enim sum aliquid. Tu Deus incrementum da, qui potens es, ac benignus.* Post hæc Reverendissimum Joannem *d'Aranthon* Genevensium Episcopum adiit. Hic Sancti Francisci Salesii sedis, ac pastoralis sollicitudinis hæres, quique unammodò Dei gloriam, ac commissarum curæ suæ ovium salutem cogitaret, & appeteret, cum significatione amoris, & gaudii advenientem cùm excepisset Antonium, maxima sibi de viri incredibili zelo subiit admiratio; opem omnem peramantèr pollicitus est, ac exploratâ peroctiduum ipsius sanctimoniâ peragendæ missionis fecit copiam ac commendatitias ad omnes suæ Diæcesis Parochos misit.

Tunc Apostolicæ Sedis, ac tanti Præsulis auctoritate munitus, datisque litteris ad omnes institutæ Congregationis Priores, ut ipsorum precationibus fœlicem ineundæ missionis exitum comendaret, Genevam Civitatem circuivit, ac totam Regionem prædicando peragravit. Unius Parrochiæ populo in pietatis studio roborato, pagos finitimos invisebat, nèc ab eorum quoquam discedebat, quin aut ab hæresi ad fidem, aut à præcipiti vitiorum viâ ad rectum salutis iter permultos traduxisset.

Abundabant in hisce partibus errores, & terrores: Antonius errores sapientiâ, terrores animi fortitudine superavit; nèc hæreticorum sævitiam formidavit, nèc persecutorum furore ejus constantia devicta sucubuit.

Hanc tanti momenti missionem mensibus Septembri, & Octobri per annos decem, qui obitum præcesserunt apostolico zelo, ingentique mentis alacritate prosecutus est. *Genevam profecturus*, inquit, *inardescit animus, provectioris ætatis oblitus, juventuti restituor, redeunt vires, levipes fio.* (Rel. part. 2.)

Archangelo Gabriel Antonii vitæ historiam prælo paranti, prælaudatus Genevensis Antistes Commentarium, suapté manu gallicè conscriptum misit. Hunc verbo tenùs latinè expressum libens subjungo.

(Ant. Tour. tom. 5. p. 533.) *Reverendus Pater Antonius le Quieu Dominicanus in omnibus Paræciis ad trium leucarum spatium Genevæ Civitati circumpositis, duobus per decem annos mensibus laboravit. Ut promptius populi adducerentur, ac lætius venirent, exibito Venerabili Eucharistiæ sacramento, quadragintà horarum preces, ut vocant, exsolvebat. Bis, quandoque ter uno die habebat ad populum concionem. Horas decem, vel etiam duodecim in audiendis fidelium confessionibus perdurabat. Noctes ipsas in Ecclesiâ antè sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, aut orans, aut Altaris suppedaneo innixus, ducebat. Radicibus, aut leguminibus vescebatur. Si præ nimiâ lassitudine, aliquantulâ requie indigeret, paleari culcitrâ, ut plurimùm, quiescebat. Ne Ecclesiarum Rectoribus esset oneri, missâ Grationopoli ab amicis pecuniâ Cereos, qui ad Altare accenderentur comparabat. Nihil à me petiit unquam. Quod mihi honori verterem, ad mensam meam, ut pauciori cibo vesceretur vix obtinui: prædicandi, & à peccatis absolvendi facultatem ingenua nixus postulabat, hiscemet additis verbis, hanc, mi Domine, te gratiam rogo, ut mihi servo inutili adsit Deus, levioríque labori meo faveat, deprecare. Novos calceos, ut admiteret, rogatus à me, attriti calcei ad pedem aptius conveniunt, iis commodiùs utor, bellè respondit. Panis frustulum, vinique semisextarium sibi, ut pauperi erogatum, ut maximè excipiebat è loco discessurus. Iter agens de cibo nequaquám erat sollicitus. Hordeaceo pane vescentem, quamque ex viciniori rivulo aquam ab cracterâ fictili hausisset, bibentem plurimi reperere, nequè austeriori victu recessit sexagenario, vel etiam septuagenario major. Eximiæ sanctitatis vir ab omnibus passim dicebatur. Decur-*

rente quam mecum habuit in Oppido de la Roche ſacrâ miſſione, triginta quamvis adeſſent ſacramenti pœnitentiæ adminiſtri Antonium omnes exquirebant, ut ipſi peccata confiterentur. Valida, ac ſuavis erat Antonii oratio. In quatuor Ducatus Sabaudiæ Regionibus Genevæ finitimis, Getſenſi ſcilicet, Tremiſenſi, Valdenſi, ac Caballicenſi maximos fructus retulit Genevam ſæpe, ac fidentèr ingreſſus, apoſtatas multos indè revocavit. Vbi ubi miſſionem perageret, hæreticos non paucos catholicæ fidei reſtituit, catholicos retraxit à vitiis, ac familiis ipſis non levem attulit ſanctitatem. Viros in primis nobiles à laxiori vivendi conſuetudine, ad christianam perfectionem perduxit. Alterâ, quam in Getſenſi Regione habuit, peractâ Miſſione Genevam ingreſſus, perantiquam ſancti Petri Sacram Ædem in prophanum Templum ab hæreticis ſacrilegè commutatam rectò adiit cum ſociis, pro civium converſione oraturus. Attoniti præſentem audiunt, qui Rempublicam gerunt. Antonium accerſunt, de diverſis interrogant, quodque ipſius agendi modum non probent, Civitatis ingreſſum prohibent, ac dimittunt. Hæc Præſul ſapientiſſimus.

Datis litteris ad Chriſtianiſſimum Galliæ Regem Ludovicum decimum-quartum, quò loci in Regione Genevenſi ſint res, debitâ reverentiâ Antonius admonuit: quod compertum habeo, inquit, Calviniſtæ permulti hæreſim fictè profitentur, quodque à Catholicâ Religione alieni non ſint, ad Romanam Eccleſiam redeant profectò, ſi potenti quâ valet auctoritate Majeſtas veſtra, liberum Catholicæ Religionis exercitium Genevenſis Senatus conceſſerit. Quid reſcripſerit Rex ſapientiſſimus, quemque habuerint exitum litteræ hæ, commentaria non referunt.

CAPUT XXXXII.

Variè ab hæreticis, vel etiam à Catholicis vexatur.

CHriſti ad diſcipulos hæc verba ſunt *ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Hoc cœleſtis Magiſtri prædictum Antonius, mundo bellum illaturus, quod non neſciret, à ſuſcepto prædicationis officio, ad quævis ſubeunda pericula obfirmavit ſe, omneque gaudium exiſtimavit, ſi pro nomine Joan. 15. 20.

Jesu contumeliam pateretur enim verò probatissimi alioquìn, ac gratissimi Deo, & hominibus viri necesse fuit, ut patientiam probaret tentatio. Maligno alii, alii invido animo insectati sunt.

Hæretici, quod ipsorum errores luculentèr refellat, ut famam minuant, vel etiam tollant, nullam adversùs eum injuriam prætermittunt: veneficum, magum, impostorem, vagum, seductorem vocant, ad ejus perniciem vires suas omnes conferunt: nùnc hìc, nùnc illìc Calvinistæ mulieres aquâ perfundunt prætereuntem. Pueri lapidibus appetunt. Obstrepant viri, ad tibiam saltant, tympano concrepant, ut concionantem impediant, verberibus contusum tèr lethaliter sauciant; ille verò ingesta in se convitia, ac ludibria, voces improbas, & omnes alias insanæ multitudinis contumelias libentissimè perferebat, mirâque tot injuriarum tolerantiâ persecutores superabat.

In Genevensi Regione mendiculam instruunt, quæ in festo Dæmone captam dicat se, fascinoque, Antonii operâ, implicatam asseveret. Bilem movet amicis malevola ficti criminis offensio, ac mulierculam falsi convictam judici tradere, utique puniendam, presto sunt. Intercedit Antonius, & illatæ calumniæ gratiam facit ex animo, at, inquit, injurias ulcisci Christiano nefas, nequè *enim discipulus est suprà, Magistrum, nequé servus suprà Dominum suum; sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus, & Servo sicut Dominus ejus.*

Merindolani hæretici, ut prænotavimus, fervidissimum Concionatorem ultrà modum persequuntur, comminantur, insidias struunt, necem non semèl machinantur. Noctis silentio, de rebus piis dùm colloqueretur cùm sociis servus Dei, Domum circumveniunt armati, tumultuantur, furiosis vociferationibus insaniunt, Domus januam convellunt, in Antonii necem conspirant, quodque atrocis facinoris iniere consilium, profecto perficiant, nisi periclitanti subsidio venerint catholici, qui pro viri salute caput libentèr objiciant.

Inter hæc minimè trepidat, nèc minimùm commovetur, piam allocutionem continuat, matutinum officium, in genua nixus, paccatâ mente, persolvit, nèc ultionem requirit.

Tantam injuriam impunitam non patiuntur supremæ Aquensis Curiæ Judices, quodque Religioni maximè faveant, Antonii

tonii vicem ipsi per sese ulciscuntur; reorum alios, Dei famulo ægrè ferente, carceri adjudicant, aliis gravem mulctam infligunt.

In ampliori Gallo-Provinciæ Civitate vir nobilis, idcircò quod ejus famulam sceleris consciam à libidine revocasset, seorsìm inventum, instàr belluæ ferro petitæ, aggressus est, ac nefanda adeò in eum contorsit convicia, ut pejora in facinorosum nequaquàm possent; verùm cum servus Dei patienti animo ferens nihil responderet, furiosus vir, à verbis ad verbera veniens cum fuste, repititis ictibus graviter percussit. Aggressoris nomen cautè celavit Antonius, nèc de injuria apud Judicem expostulavit. Livoribus, quos ei verbera intulerunt, quasi quibusdam gloriabatur coronis.

CAPUT XXXXIII.

Avenione concionatur.

Sæviori sedatâ vexationum tempestate aliquandiù latuit Dei famulus in Thorensi Domicilio, à conturbatione hominum, & contradictione linguarum remotus.

Annos natus quinque supra septuaginta, dùm congregatis pueris, ut ipsius usus ferebat, divinæ legis elementa explicare ruricolas instituere, pauperum confessiones excipere, eorumque, quoquò posset modo, inopiæ prospicere cum non intermitteret, optimi senis modestiæ, ac humilitati vis quædam illata est. Ant. Tour. tom. 5. p. 533.

Optarat Reverendissimus Hyacinthus Libelly Ordinis Prædicatorum, ex sacris Apostolici Palatii Magistro, ad Avenionensem Archiepiscopatum recèns assumptus, ut in principe sancti Agricoli, ejusdem amplissimæ Civitatis Parœciâ per adventum, & Quadragesimam Divini verbi Prœconem ageret, eique accersito, quid vellet, denunciavit.

Ingenti verecundiâ suffusus Antonius, ignosce quæsò, mi Domine, ait, quod expetis præstare nequeo, proposito explendo muneri impar sum mihi omnium Concionatorum minimo data est gratia hæc in villulis tantummodò Christum nunciare, evangelisare pauperibus misit me Dominus.

Qui audivit humilem, excusatum non habuit, urgere

non destitit, ac Reverendissimi Generalis Magistri auctoritate, ad suam sententiam traxit, præ humilitate, reluctantem.

Itaquè doctissimi Præsulis voluntati obsecutus, austeriori jejunio, ac ferventiori prece præparatus, Avenionem, statuto tempore profectus est.

Ut primùm dicentem audierunt Avenionenses, omnium in se oculos repentè convertit, Urbemque totam ejus nominis fama pervasit; ipsius virtutes omnium sermone celebrantur, insolita concionantem civium corona commendabat, effusè veniebant proceres, ac plebæi adeò ut Ecclesia, quantumvis amplissima, auditores non caperet.

Rectam quidèm docebat Antonius æternæ salutis viam, non tamem in sublimitate sermonis, aut sapientiæ annunciabat Avenionensibus testimonium Christi. Ipsius sermo, & prædicatio sua non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis. Sapientiam loquebatur intèr perfectos, scientiam verò non hujus seculi neque Principum hujus seculi, qui destruuntur, non enim erat sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Chisto loquebatur.

Vitiorum turpitudinem, quæque gravia inferat damna lethale peccatum, eâ promebat vi, ut non levis audientibus ejusdem peccati horror incuteretur, & ad pœnitentiam expetendam incitatus, fletu, abominati criminis teste, madentibus oculis unusquisque discederet: ad certandum cum triplici humani generis hoste dæmone scilicet, mundo, ac carnis illecelebris, tanto audientes hortabatur fervore, ut pugnæ idonei efficerentur. Ex suggestu verba faciens Beatissimæ Mariæ Virginis sacri Rosarii signum lævâ manu tenebat, nèc offendebantur auditores.

Solutâ concione, eum multi conveniebant, ut consilia peterent, aut totius vitæ noxas confiterentur. Ab ipsa hora quarta matutina sacrum Antonii Tribunal ingens circumstabat civium numerus. Concurrebat autem multitudo vicinarum Civitatum Avenionem, afferentes ægros, ut liberarentur ab infirmitatibus suis: horum aliquot, signo crucis, brevique peractâ oratione, curasse perhibetur.

Dei famulum per id tempus, certiora edidisse miracula constanti famâ, atque omnium sermone celebratur; de his

Reverendissimo Avenionensi Archiepiscopo præcipiente, juridicè inquisitum est. Hæc augebant famam : hac de causâ, auditorum, ac pœnitentium crescebat quotidie numerus.

Urgente Christi charitate omni petenti tribuebat se ; quidquid, recitatis precibus, sacroque peracto superesset temporis, charitatis impendebat operibus. Nihil intereà de consuetis sui corporis cruciatibus remittebat ; timebat enim, nè cum aliis prædicaverit, reprobus ipse efficeretur.

Delatos honores summâ humilitate respuens, quod tota plauderet Avenionensis Civitas dolebat, quamque pateretur animi anxietatem Archangelo Gabriel socio sæpenumerò testatus est. Fugâ, vanæ gloriæ periculum libenter declinasset, in secretiorem locum discessurus.

Quod inutilem servum reputaret se, sibi nihil, totum divinæ gratiæ tribuebat. Nihil habere quod non acceperit recordabatur, nèc productà gloriabatur quasi non accepisset.

Vulgati corporis mulierculas, nècnon puellas, quæ addictam prætio haberent pudicitiam, quæque toti Civitati gravem offensionem facerent, à libidine turpique lucro unâ concione revocatas, ac de tota vita confitentes cùm audivisset, approbante prælaudato Avenionensi Archiepiscopo, domo rebus omnibus necessariis instructâ conclusit. Hæc loco mutata, datisque eleemosinis aucta, Boni Pastoris domus hodiè dicitur.

Ut eum pertentaret (hæc narrabat mihi Archangelus Gabriel Antonii socius) ad prandium vocavit Sabbato Sancto Excellentissimus Prolegatus. Non ambigit servus Dei, nèc oblatum honorem respuit, quique solo pane privatim vescebatur, de appositis dapibus sobriè usus est, ut scilicet austerioris hominis nomen effugeret : thunni oculum, qui profectò gustu jucundior est, furcinulâ eductum Antonio porrigens Prolegatus, hocnè frustulum, inquit, mei gratia comedes? Obvio quolibet cibo utor, modestè respondit servus Dei.

Hunc agendi modum prudentiæ, vèl etiam humilitati tribuit Prolegatus, ejusque, cum abiisset, laudes fusè prosecutus est.

Feriâ tertiâ post Pascha, perfunctus concionatoris officio, ac peractâ missione. ut plausus conviciis amariores declinaret, clàm clabi statuit, sociumque secretò monuit, ut postridiè, multò mane, abire præstò sit. Ant. Tour. tom. 5. p. 535.

Præter ſpem, animoque repugnante, præventus eſt Antonius, nèc potuit cogitata perficere. Antequàm illuceſceret circumcingitur Conventus, vici affluentium Civium turbâ replentur, qui ſancti Concionatoris, ut aiunt, benedictionem expectent.

Recluſis foribus, Oſtiarius velit, aut nolit, irritâ in præcavendo diligentiâ, Conventum tumultuosè ingrediuntur, in intimam uſquè ædem penetrant, at, inquiunt, ſanctum, ac Dei amicum volumus videre.

Inter hæc, quod devotiori populo aliquid tribuendum prudentèr cenſeat Conventus Avenionenſis Prior ſuadet Antonio, ut ad majus ampliſſimæ Eccleſiæ Altare ſacrum faciat, ſanctiſſimoque Euchariſtiæ ſacramento in manus ſumpto, congregatæ multitudini benedicat.

Nèc populo factum eſt ſatis, nequè contenti diſcedunt qui advenerant; Antonium requirunt; uſquè ad ipſum veniunt, detinere pertentant, timentque nè diſcedat ab eis.

Diſceſſit intereà, eoque abeunte, ea fuit undequàque confluentium civium multitudo, ut vix præfocatus non ſit, quodque humili viro fuit permoleſtum, quodque accerbiorem pudoris, ac verecundiæ ſenſum attulit, tranſeunti offerebant ægros, ac malè habentes, ut impoſitâ manu, priſtinæ ſanitati reſtitueret; alii flexis genibus, ut ipſis benediceret, deprecabantur; alii imprudentèr irruebant in eum, veſtes diſcerpturi.

Quaproptèr Excellentiſſimus Prolegatus de viri ſalute in primis ſollicitus, Rhedam, necnon Helvetiorum manum miſit, ut, è turbâ ereptus, Thorum incolumis deduceretur.

Effusè ex Urbe prodeunt Cives, quemque velociori curſu abeuntem non valent aſſequi, jucundis laudibus proſequuntur.

Ant. Tour. tom. 5. p. 535. Ex ferventiori hoc, ac inſolito laudum, ac honorum impetu, novum Eliam mundo brevi tollendum præſagiebant viri ſapientiores, nèc falsò ſunt ominati.



CAPUT XXXXIV.

Genevam ultimùm proficiſcitur.

IN Thorenſi Domicilio aliquandiù commoratus, ad Oppidum *de Merindol* reverſus eſt, ut quod à multis annis coluerat rude ſolum, cœleſtis prædicationis imbre irrigaret, quæque inimicus homo ſuper ſeminaſſet zizania, eradicaret.

Dein Maſſiliam adiit, ut cariſſimas in Chriſto filias ſanctiſſimi ſacramenti Moniales obfirmaret in bono, quaſdam ipſis, quæ ſupervenerant, dubitationes tolleret, qu æque forent peragenda præfiniret.

Paſtoris optimi fungens officio, omnes inviſit Congregationis Domos, confirmans animas fratrum, exhortans que eos, ut permanerent in diſciplina Dei. *Deus autem gratiæ*, inquit, *qui vocavit vos, modicum paſſos ipſe perficiet ſolidabitque.* I. Petr. 5.

Genevam poſtmodùm profectus, ibique à Regis Galliæ apùd Rempublicam Oratore (Reſidentem vocant) peramantèr exceptus, in Oppidis, ac villulis Civitati circùmpoſitis, conſuetis Miſſionum exercitiis vacavit, novo populorum applauſu, novâque audientium utilitate.

Dei, qui exaltat humiles, permiſſu, qui Avenione delati fuerant honores Antonio, Maſſiliæ, Aquiſſextiis, Valentiæ, Viennæ & Grationopoli renovati ſunt. Illàc tranſiens totus mundus poſt eum abiit; ipſi pueri, lætis vocibus, prætereuntem ſequebantur, hi verò, quos habuiſſet obvios tranſeunti genua flectebant. Quanto tùnc animi dolore torqueretur, in eo quem compoſuit Relationum Libro teſtatur, nèc quis facilè dixerit. Rel. part. 2.

In Genevenſi Regione duobus circitèr menſibus commoratùs, ibique ſparſo Divini verbi ſemine, hìnc menſe Julio deſinente digreſſus eſt ad propria reverſurus æſtivo calore, longiori itinere, quod pedibus, ac emendicato pane de more confecerat, nècnon copioſo imbre exhauſtis viribus, die ſecundâ Auguſti Thorum devenit ſeptuagenario major.

Quartanâ febri vexatus, internam, quam patiebatur, corporis ægritudinem, ut omne ſolatium averteret à ſe, celavit tacitus; validi animi vir fatiſcentes artus ſpiritui ſervire cogebat: in pervigilio ſancti Patris Dominici diù, noctùque Choro interfuit, pane, & aquâ contentus jejunavit.

Craſſo Thorenſes, ſalubri ſaltuenſes utuntur Cœlo. Illùc recuperandæ ſanitatis gratia, ſuadentibus fratribus, profectus, præcelſum montem, quem Ventoſum dicunt, ſæviente boreali vento, ingentique exortâ procellâ, quam fugere non valuit, cum concidiſſet viribus, ad ſaltuenſem Conventum ſemi-animis deductus, morti proximus omnium judicio viſus eſt.

Verùm vocatis Medicis, diligentique adhibitâ curatione, interjectis aliquot diebus, aliquantulùm inſtauratâ ſanitate, ſenſibuſque reſtitutus, ad Cadenetenſe Domicilium, quò graviora vocabant negotia, deferri velle teſtatus eſt.

CAPUT XXXXV.

Antonii Obitus.

TOtâ ſaltuenſi Civitate diſſeminato, in quo verſabatur Dei famulus, vitæ periculo, auditoque, quod inierat abeundi conſilio, ingens illicò tumultus fit, concurrunt cives de tanto theſauro ſolliciti, cuſtodes adhibent, excubias agunt, Domum circùmſtant armati, nè ſcilicèt clàm, aut furtìm effugiat.

Quid intèr hæc venerandus ſenex? Quod abjectiſſimè ſentiat de ſe, dolet, collacrymatur, baculo innixus, pudore, ac mœſtitiâ oppreſſus ad Conventûs januam cum venerit, nè abeuntem doleant humili, lenique ſermone, rogat. *Boni eſtis vos*, inquit, *qui de me ſervo inutili curatis*, *meique miſerrimi peccatoris eſtis ſolliciti*; *graviora me negotia vocant aliò*, *ut abeam*, *amabo vos*, *nè ægrè patiamini.* Inſiſtunt, orant, obſecrant, urgent, ut remaneat. Attamen quod virum maximè venerentur, eique præ anguſtiâ, & ægritudine vix non deficienti nolint eſſe moleſtiores, ad propria mœſti revertuntur.

Intereà quam prælaudatus Andreas *d'Oraiſon* Dominus *de Cadenet* præmiſerat vectus lecticâ, ad Conventum *de Cadenet* cùm perveniſſet, tantus, ſubito impetu, effluxit à cerebro ad pectus noxius humor, die ſextâ Octobris, ut vix præfocatus non ſit.

Tùm ultimum inſtare ſibi diem præſentiens, præmiſsâ totius anteactæ vitæ confeſſione, ſacrum Euchariſtiæ Viaticum humillimè petiit; eoque genuflexus, ac toto Ordinis habitu indutus, incredibili devotione, mentiſque fervore refectus eſt.

Sacrâ peractâ unctione, ità alleviavit eum Deus, ut meliùs illicò habere jàm cæperit. Viſu, auditu, ac integrâ loquendi facultate ægro reſtitutis, quidquid ſupereſſet temporis ad extremum cum inviſibili humani generis hoſte ineundum certamen accinxit ſe. Diverſarum virtutum; amoris nempè, humilitatis, ac pœnitentiæ ferventiores actus diſtinctâ, altâque voce protulit. Amantiſſimus Pater circùmſtantibus, àc collacrymantibus filiis mutuam charitatem, in regulari obſervantiâ perſeverantiam, evangelicæ paupertatis amorem, obedientiam, ac procurandæ proximorum ſalutis indeficiens ſtudium, præſenti animo, commendavit. Quot, ubi, & à quibus habendæ forent in ſequenti anno ſacræ miſſiones præfinivit, ſuumque Miſſionariorum cuique munus atribuit; cùmque pro Summo Pontifice, Catholicæ Eccleſiæ fœlici ſtatu, ſacro Cardinalium Collegio, Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro, ac demùm pro à ſe inſtitutâ Sanctiſſimi Sacramenti Congregatione ſingulatìm oraſſet, totum ſe dedit mentis recollectioni, & intèr ſacra cum Chriſto crucifixo, cujus imaginem manu geſtabat, divini amoris colloquia, cœleſtium bonorum æſtuans deſiderio, nullo prorsùs cum morte luctamine placidiſſimè obdormivit in Domino in prædicto Conventu *de Cadenet* anno 1676. die ſeptimâ Octobris horâ ſecundâ matutinâ, decurrente ætatis ſuæ anno 76. à ſuſcepto regulari habiu 54. ab inſtitutâ Congregatione 41.

Defuncti facies miro quodam fulgore reſplenduit, quique ſanctitatis formam prætulerat dùm viveret, vitâ functus retinuit, auxitque; ipſum, citrà pii animi ſenſum, fuerit intuitus nemo.

Pervulgato Antonii obitu ingens repentè factus eſt homi-

num concursus; hi pedes, hi manus certatim exosculari, alii precatorias coronas corpori applicare, alii vestes discerpere, omnes ipsius opem implorare.

Nè verò ipsius corporis membra, multitudinis inconsultæ pietati paterent, qui turbam submoverent admoti sunt armati custodes. Cadenetensis Magistratus, prælaudatus Andreas Marchio *d'Oraison*, ejusque germanus frater Commendator *de Reneville* servi Dei exequias solemni ritu peractas, cohonestarunt.

Corpus ejus, ut præceperat moriturus, apparatu nullo, in prædicti Cadenetensis Conventus sacrâ Æde, in Præsbyterio ad dextrum latus aræ maximæ in communi Sacerdotum tumulo, arcâ ligneâ separatìm inclusum ac debitè obseratum repositum est.

Antonium æternâ beatitudine perfrui permultis fuisse divinitùs revelatum perhibetur; multi, vel etiam in ecclesiasticâ dignitate constituti ipsum privatìm invocare consueverunt, eique injuriam fecisse credant, si pro ipso oraverint. Ad ejus sepulchrum non Cives modò, verùm etiam alienigenæ veniunt solvendi voti causâ, ac de beneficiis à Deo, ejus patrocinio acceptis, gratias habituri. Advigilarunt jàm indè à principio nostri, advigilant etiamnùm, nè Dei famulo, nondùm auditâ Ecclesiæ voce, ac Summi Pontificis oraculo, cultus publicus adhibeatur. De Antonii morte doloris plurimùm hausit Reverendissimus Joannes Thomas de Rocaberty Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, datisque Romæ litteris ad R. admodùm Patrem Joannem Franciscum *Bernard* Congregationis Vicarium Generalem, & Antonii successorem, *Maximo doloris sensu*, inquit, *accepimus lugubres nuncios obitûs Venerabilis Patris Fr. Antonii Quevei, quem Deus meritis, quàm annis graviorem in Cœlum transtulit ad paratas suæ observantiæ strictiori, salutisque animarum zelo coronas; Verùm summopere desideramus, ut acta à præfato suavissimæ memoriæ Antonio Queveo, exactè colligantur, ut ejus vita posteris sit exemplo, nèc enim tot beneficia, à Deo illi collata, ut læti audivimus, æterno silentio danda sunt. Tu ipse multa vidisti, ac probasti, tuique erit, pro tuo in virum tàm pium affectu, ut sincerè illa ad amussim describantur.*

CAPUT

CAPUT XXXXVI.

Antonii forma, & ſtatura Corporis.

CIrcumferuntur quædam, tùm Avenione, tùm Aquiſſextiis ſculptæ Antonii effigies, nèc ad veram ipſius formam delineatæ. Extat in Cadenetenſi Domicilio cerea totius vultus imago ex demortui facie perperàm, & imperitè expreſſa. Aberret haud dubiè pictor, ea ſi fuerit imitatus.

Ut à R. Patre Archangelo Gabriel ejus in obeundis miſſionibus, per trigintà annos, ſocio ſæpenumerò audivi, ſtaturâ fuit quæ mediam ſuperet. Totus corporis habitus ad gravitatem compoſitus. Serena fronte; hæc ætate procedente rugoſa fit. Blando, mitique aſpectu. Subrubeis genis priuſquàm ſeneſceret. Inferius labrum levius eminet. Non naturæ vitio, ſed modeſtiæ causâ capite ad dextram paululùm inclinato, Calvitium paſſus eſt Senex, ità tamèn, ut medium ſinciput albi capilli flocum retineat.



LIBER SECUNDUS

ANTONII VITÆ.

DE PRÆCIPUIS IPSIUS VIRTUTIBUS SINGULATIM.

Cùm de his, quæ in Dei famulo virtutibus effulſere, obiter tantummodó, occaſione datâ egerim, ut ſcilicet narrationis textus continenti ſerie duceretur, de eiſdem pauló fuſius dicere intenti operis, ut quidem videtur mihi, ratio poſtulat; ità fiet, auxiliante Deo, ut Novitii noſtri, qui Antonii mores fuerint demirati, ejuſque virtutum enarrationem unico veluti tractu perlegerint, eum imitatione aſſequi adnitantur *Nám ſi propterea juſtos, fideleſque diligimus, quod in ipſis juſtitiam, fidemque ſuſcipimus, poſſumus nos quoque eſſe quod ſunt, ſi faciamus ipſi quod faciant.*

Cyp. de Mart.

CAPUT PRIMUM.

Antonii in Deum Charitas.



UT perfectam quâ in Deum ardebat charitatem prorsùs oſtendam, exſcribendi forent mihi libri tres, quos urgente jam ſenio, conſcripſit, quique in Cadenetenſi Conventu reverentèr aſſervantur. In his ad Deum ſuper omnia diligendum lectorem vehementius adhortando, nativis coloribus veram inflammati cordis ſui ſpeciem effinxit.

Dei gratiâ nedùm paternam Domum, ac cariſſimam matrem, verum etiam quas profectò obtinuiſſet in ſecula dignitates, ut Chriſtum humilem ſequeretur, ſpontè dimiſit; in anguſtiis, in perſecutionibus, in plagis, in verberibus,

in omnium rerum inopia per ſummam in Jeſum Chriſtum dilectionem, quid dixerim, patienter habebat ſe? Gaudebat, lætitiâ exultabat, delectabatur.

Anno 1650. ob hanc quam diximus cauſam, Romam tertium profectus Genevenſem Regionem prætèrgrædiens verba hæc modulatis vocibus identidem decantabat *Bone Deus! quanta in corde tuo dilectio, quantus amor!* vel hæc Apoſtoli ad *Romanos: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Hacque ratione, ut pro amore amorem rependeret, inardeſcebat.

Deum conſummatâ charitate, in cœleſti patriâ diligendi tantâ flagrabat cupiditate, ut ſolvi corporis vinculis vehementius optaret; cumque ipſi integrum non eſſet, inflammati cordis impetus cohibere, in Cellula ſolus parietibus ipſis Dei amorem prædicabat, ſeſeque in omnem partem circùm agens, quaſi verò Orbem terrarum alloqueretur, in has voces erumpebat, Amorem! Amorem! Amorem!

Ad quemcumque litteras daret, quemcumque inviſeret, quemcumque alloqueretur ad Dei amorem pertrahere nitebatur; hùc cogitationes omnes, hùc opera omnia, hùc omnia ipſius conſilia referebantur: quotiès verò accerbiſſimam Chriſti Domini mortem mente revolveret, pro Chriſto viciſſim (quod luculentiſſimum eſt dilectionis argumentum) mori cupiebat, & quoniam ſubeundi martirii ipſi defuerit occaſio, jugi pœnitentiâ, ſuſceptiſque ſpontè cruciatibus, illud compenſare quoadvixit, vehementèr ſtuduit.

Hoc divini amoris æſtu, tùm maximè agebatur, cùm vel accepta à Deo beneficia ſecum cogitaret, vel ſacrum Miſſæ ſacrificium obtuliſſet; tùm divino pabulo refectus, ſeraphico ardore ſuccenſus, ac miro quodam ſplendore coruſcare, ſæpenumerò, ut prænotavimus viſus eſt.

CAPUT II.

Ejuſdem charitas in proximos.

QUi Deum amaret ſupèr omnia, proximos ut ſeipſum diligere, ab ipsâ tenerâ ætate jàm cœpit. Sortitus animam bonam, totusque ad miſericordiam compoſitus, tantâ

commiſeratione pauperes, ac mendicos proſequebatur, ut dùm in Pariſienſi Academiâ ſtudiorum causâ verſaretur, vel etiam regularem ſtatum profeſſus, proprias veſtes in eorum uſum libentèr erogaſſet, ſi præ honeſtate licuiſſet. Advenientes mendicos lætus excipiebat; jucundiora cum eis miſcebat colloquia.

Tantùm abeſt, ut eos odiſſet, qui ſibi mortem inferre pertentaſſent, ut omnia ſua ineorum uſum, amoris causâ, contuliſſet; quod cum aliàs tùm verò decurente Merindolana miſſione planiſſimè innotuit; hæreticos namquè qui ſibi necem fuerant machinati, aut ſacrilegi facinoris reos, quâ apud Aquenſis Senatus Judices valebat auctoritate, morte liberavit. In quadam Gallo-Provinciæ Civitate à viro nobili maledictis laceſſitus, àc fuſtibus diriſſimè cæſus, nedùm ultionem perſecutus non eſt, verùm etiam percuſſoris nomen cautè celavit, nè ipſius honori ignominiæ labem inferret.

Laudabilem hunc in ſingulis inſtitutæ Congregationis Conventibus morem induxit, ut, cuilibet advenienti mendico, pulmentum quotidiè diſtribuatur: hujuſce charitatis officii cum fuiſſet oblitus in Cadenetenſi Conventu rei familiaris Procurator, tanto doloris ſenſu Antonius affectus eſt, ut culpam ab illo in ſeipſum transferens, ab omni pulmento, in Conventu degens, per annos decem abſtinuerit.

Facillimus erat ad Antonium egenorum omnium aditus, eorumquè animos nedùm piâ conſolatione demulcebat, verùm etiàm tùm collectis, tùm ſpontè oblatis eleemoſinis ipſorum inopiæ proſpicere nitebatur. Ubi ubi per ſacros Quadrageſimæ dies habuiſſet ad populum conciones, taxatum pro habitâ miſſione ſtypendium, nèc relicto ſibi obolo, priusquàm è loco diſcederet, quamvis mendicatò ipſe viveret, pauperibus erogabat.

Ædificabatur ſaltuenſis Domus, duæque tantummodò extabant ibi Cellulæ, totidèm numero fratribus ad commorandum neceſſariæ; contigit tùnc, ut heremita lacerâ veſte indutus, fœdoque vulnere malè affectus advenerit, enixè rogans, ut hoſpitio exciperetur: tùnc Antonius, qui neminem repelleret à ſe, quique in perſonâ pauperum Chriſtum ipſum agnoſceret, nedùm quam incolebat Cellulam, verum etiam proprium lectulum heremitæ peramantèr conceſſit;

ipſe verò in Eccleſiâ antè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum orans, noctem totam inſomnem duxit. Ad Thorenſis Domus januam, ſæviente hyeme, cum veniſſet mendicus nudis pedibus, detractos è veſtigiò, quibus ipſe induebatur, calceos ad eum miſit. Longior profectò ſim, ſi cuncta Antonii miſericordiæ opera ſigillatìm recenſeam.

CAPUT III.

Antonii præcipuus in ſanctiſſimam Euchariſtiam cultus.

IMmenſa divinæ largitatis beneficia exhibita populo chriſtiano, inæſtimabilem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ conferunt dignitatem. Hoc Sacramento nullum prætioſius, mirabilius nullum, nullum ſalubrius. *Nihil ità iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.* Huic proptereâ honorem præcipuum Antonius ſempèr exibuit, quem filiis ſuis impensè commendavit, eisque, veluti quodam hæreditario jure reliquit. Bern. Serm. 15. in Cant.

Patriam, ac gentilitium cognomen oblitus, ut ſe totum Jeſu Chriſto dicatum conteſtaretur à ſanctiſſimo Sacramento nuncupari poſtulavit regulari veſte induendus. Inſtituendam Congregationem eodem titulo inſigniri à R^mo. Nicolao Rodulpho Ordinis Generali Magiſtro humilitèr petiit: poſt *Salve Regina*, Antiphonam *Memoriam fecit* cum verſiculo, & collectâ, in omne futurum tempus, finito Completorio, in quolibet Congregationis Conventu quotidiè decantari præcepit.

In Eccleſiâ antè diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pernoctare ſolitus, modò genuflexus, modò extenſis brachiis ſtans, tanto divini amoris flagrabat incendio, ut mirâ ſuavitate perfuſus, in extaſim quodammodò raperetur.

Quoties aut dubio fluctuaret, aut tribulationibus angeretur, multisque undique cinctus anguſtiis, ad Chriſtum, veluti ad perennem luminis, ac conſolationis fontem confugiebat; hùc tanquàm ad Polum vertebatur Antonii mens. Ad Chriſtum accedebat, & illuminabatur, ad eum veniebat, & reficiebatur, guſtabat, & videbat quoniàm ſuavis eſt Dominus.

Iter agens, cujusvis Civitatis, aut Oppidi ſacram Ædem, quò longius poſſet videre, genuflexus, ac nudato capite Chriſtum adorabat, ac peccatorum, qui in eadem Civitate, aut Oppido fuiſſent, converſionem, enixis precibus poſtulabat.

Urbem ingreſſus primùm omnium Eccleſiam, quantumvis remotam, vel longiori itinere fatigatus adibat, nèc indè diſcedebat, antequàm Jeſu-Chriſto ſupremum amoris, ac reverentiæ cultum adhibuiſſet. Pium hunc agendi modum filiis ſuis valdè commendavit, ac in ſanctiſſimi Sacramenti Congregatione obtinuit laudabilis conſuetudo, ut hoc ab omnibus fiat.

Toto quo tempore in Genevenſi Regione habuit ſacras miſſiones, Æde ſacrâ, quæ ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum contineret ut Paradiſi amenitate lætabatur; ibi pernoctabat in deliciis, ibi peculiaribus gratiis donatus eſt; ibi ab ubertate domus Dei repletus, ibi in meroribus, & anguſtiis cœleſtis voluptatis torrente potatus eſt; ibi Antonii creſcebat fides, adaugebatur ſpes, & charitas fiebat ardentior; hìnc recta conſilia, hìnc quos in chatolicâ Eccleſiâ uberes fructus protulit, quæque mirabilia operatus eſt, tanquàm à copioſiſſimo fonte dimanarunt.

Miſſam quotidiè piiſſimo in Deum animo celebrabat; *ſaturabatur quià famelicus, quique ab omni culpâ jejunaret, Divinum Sacramentum percipiebat in plenitudine virtutis:* Sacro peracto gratiarum actionem protrahens, tantâ ſuavitate perfundebatur, ut præ gaudio aut defluerent lacrymæ, aut præ nimio æſtu amor accreſceret. Tùnc nèc fide tantùm, ſed quodam etiàm animi ſenſu, Chriſtum præſentem agnoſcebat, ac dulciora miſcebat gratitudinis, & amoris colloquia.

Greg. lib. 2. in 1. Reg.

Ut ſacrum faceret, tantoque bono perfrueretur, quatuor, vel etiàm quinque leucarum ſpatium plerumque confecit pede. Oblatum Miſſæ ſacrificium Antonii laſſitudinem abſtergebat, redibant vires, ad proſequendum cæptum iter fiebat vegetior; in fortitudine cibi illius præruptos montes ſæpè præter greſſus eſt, ætate longævus.

Inſtitutam ab Urbano Papâ eo nomine quarto ſanctiſſimi Sacramenti Solemnitatem majori quo poterat apparatu celebrabat.P er totam ejuſdem feſtivitatis Octavam vix ab Ec-

clesia discedens, antè Altare majus in genua nixus, ac nudato capite noctes ducebat insomnes : cum alia multa, tùnc vèl maximè cupiebat, ut ab hæreticis, aut indignè sumentibus, Christo irrogatæ injuriæ sarcirentur. Hujus sacramenti devotione mirificè affectus Ordinem Monialium, quibus à sanctissimo Sacramento nomen est, quæque Christum noctù, diùque perpetuò adorent, ut suprà diximus, Massiliæ instituit.

CAPUT IV.

Beatissimam Mariam Virginem veneratur.

Potens est Ordinis FF. Prædicatorum Advocata Beatissima Virgo Maria. Ipsius singulari patrocinio ad animarum salutem institutus, vitia depulit, hæresum monstra compressit, uberesque in horrea Patris familias fructus jàm indè à principio reportavit. Ejusdem Beatissimæ Virginis patrocinium, ut assequeretur Antonius, in ejus fidem, ac clientelam commisit sese à puero; hanc Matrem agnovit, hanc filiali dilectione prosecutus est, ejus laudes, quoad vixit, impensè prædicavit, illius opem expertus, innumeris ab eâ gratiis donatus est. Pro suâ in sanctissimum Rosarium eximiâ devotione, cui in piissimo hoc Dei paræ Virginis cultu similem fortasse non invenias, voluit, ut omnes qui ædificarentur Conventus, aut consecrarentur Ecclesiæ, successivè dicarentur Deo in honorem mysteriorum quæ in sacro hoc orandi ritu percensentur.

In variis Galliæ Regni Provinciis ejusdem Rosarii societatem, aut instituit, aut jàm pridèm collapsam restituit, eique innumeros utriusque sexus Christi fideles adscripsit.

Voluit, ut in singulis institutæ Congregationis Conventibus vespertinìs horis, præmisso æris campani signo, ex tribus una Rosarii pars congregato populo, omni indiscriminatim tempestate quotidiè proponatur, adjunctis iis, quæ ad Christianam pietatem, ac vitia tollenda maximè conducant. In Tricastina Delphinatûs inferioris Civitate laudabilis hæc maximè viget, consuetudo. Ibi nedùm DD. Canonici, ve-

rùm etiàm viri nobiles ac militum Duces, quique ex virtutis præſcripto vitam agere deſiderant, ad Prædicatorum Eccleſiam veniunt ut quotidianum Beatiſſimæ Mariæ Virgini penſum perſolvant, in charitate creſcant, ſuoque unuſquiſque munere rectè perfungatur.

Vèl iter agens Antonius Roſarii ſignum ſempèr habebat præ manibus, adjunctâque myſteriorum meditatione, preces devotiori mente, quò poſſet ſæpius, quotidiè recitabat.

CAPUT V.

Antonii Humilitas.

Virtutes intèr, quæ ſingularem Dei famuli ſanctimoniam comprobarunt præſtantiſſima adeò enituit humilitas, ut, ſingulari Dei dono, in verbo, in opere, in colloquio, ſive laudarent eum populi, ſivè contumeliis afficerent, nè levis quidem in eo apparuerit ſuperbiæ nota.

Ut ad promiſſa humilibus prœmia tutiùs pertingeret, virtuti huic acquirendæ, à ſuſcepto regulari habitu, ſempèr ſtuduit; jàm tùm eâ præſtabat animi ſubmiſſione, ut mortalium abjectiſſimum putaret ſe, ac peculiari ſibi gloriæ duceret, ab omnibus contemni, & malè haberi.

Subeſſe cupiens, non præeſſe cujuslibet eum tædebat imperii. Gravatè aliis ſempèr præfuit, eo quamvis eſſet ingenio, ut quidquid exequi, ac præſtare optimè poſſet. Imparem ſe, cæteros rebus adminiſtrandis idoneos putabat. Sancti Patris Dominici exemplum ſecutus loca, in quibus honore haberetur devitare ſolitus, in quibus ludibrio eſſet libentèr adibat. Urbes prætergrediens non frequentioribus, ſed deviis, quantùmvis longioribus, ibat viis, ut ſcilicet plaudentis populi laudes declinaret.

Pariſiis degens Optimates, aut viros nobiles, niſi neceſſitas cogeret, non inviſit, nèc aulico cultu Principum quempiam proſecutus eſt, cumque laudare ſe, aut deſpicere paris ſuperbiæ periculum ſit, nèc gloriantèr de ſe dixit unquam nèc contèmptim.

Ne ſenſim in animam irreperet peſtiferæ ſuperbiæ virus, hæc

hæc dùm laudaretur, submissâ voce, verba recitabat, *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* vèl ista *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Parisiensem patriam celans, de nomine percunctantibus respondebat *orate ut nomen meum scriptum sit in Cœlis.*

Quidquid in sui gloriam cederet, alto, perpetuoque premebat silentio, quæque accepisset cœlitus dona, intento adeò animo, occultabat, ut P. Joannes Dalmassy, vir cæteroquin spiritualium usu exercitatissimus, annos octodecim cùm Antonio commoratus de his vix quidquàm cognovisse testatus sit. Hæc Confessarii jussu, urgente jam senio litteris quidem mandavit; verùm nihil sibi, Divinæ gratiæ totum sic tribuit, ut nihil humilitati detrahat enarratio. Virginem Thereziam imitatus, qui accepta dona ad Dei gloriam recensuit, proprios defectus ad sui verecundiam non tacuit, sicque factum est, ut per scripta doceret posteros, & per humilitatem custodiret semetipsum.

Hæc secùm reputans Christi Domini verba *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor* nedùm Prior verùm etiam Congregationis Vicarius Generalis abjectissima obibat Conventûs ministeria; fratribus suis alacritèr inservire, Domum verrere, coquinaria vasa mundare, januam custodire, ægris inservire, aquam abluendis manibus infundere, pultem mendicantibus dispartiri, peregrinos hospitio recipere, exemptâ mensâ, vasa efferre summoperè lætabatur. Feriâ quintâ in Cœnâ Domini, ubi ubi inveniretur Christi exemplum secutus, sociorum pedes suis ipse manibus lavabat, àc demissè osculabatur. Conquerentibus respondit aliquando *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi unus ex ipsis.*

Luc. 22.

Eccl. 32.

Prælatorum quorumdam non leve hoc malum est, ut perfractè nimis in sententiâ perstent, quodcumque judicaverint rectum putent, initamque sententiam plus æquo deffendant. Ab hoc vitio Antonius abhoruit; diffidens sibi, juniores ipsos ad consilium adhibebat, eorumque stabat judicio quamvis à proprio sensu quandoquè esset alienum.

Demissè adeò sentiebat de se, ut mortalium infimum se crederet, sibique cæteros omnes ad virtutem, & exemplo esse, & incitamento fateretur: propriæ infirmitatis me-

mor omnes sibi, se nemini præferebat, unique Dei misericordiæ nixus, merum nihil reputabat quidquid bonis operis moliretur.

Aug. sup. Joan. *Perfacilè est*, ait S. Augustinus *vestem contemptam habere, inclinato capite incedere, sed verum humilem patientia ostendit injuriæ.* Graviora parabantur Dei famulo exercendæ humilitatis argumenta; in vitium vertebant non nulli, quod ipsi erat gloriæ. In instituendæ Congregationis prosequendo consilio, in obeundis apud hæreticos sacris missionibus infensissimos habuit adversarios, qui nullam tùm publicè, tùm privatìm injuriam prætermitterent. Variis lacessitus verborum contumeliis, hilari semper fuit animo, nèc minimùm conquestus est. Patiebatur contemptibiliter haberi, quod sanctus Anselmus luculentissimum vocat sinceræ humilitatis argumentum.

In scholâ Christi edoctus, duro sermone furorem non suscitabat, sed molli responsione frangebat iram; nèc malum pro malo, nèc maledictum reddebat pro maledicto, sed è contrà benedicebat, quià in hoc vocatum putabat se, ut cœleste Regnum patientiâ, & humilitate possideret.

Immanes injurias passus, moderatum adeò præbuit se, ut persecutores ipsos in admirationem converterit, ab eisque exquisitissimis verbis postmodùm laudatus sit. Sed de his quid plura? Tota Antonii vita, totusque ipsius agendi modus, perpetua fuit, & constans veræ humilitatis connexio.

CAPUT VI.

Antonii voluntaria Paupertas.

ARctiori adeò vinculo connectuntur humilitas & paupertas, ut tùm Scriptura sacra, tùm Sancti Ecclesiæ Patres humilitatem paupertatis, paupertatem humilitatis nomine appellare consueverint: æquo incedunt pede virtutes hæ: ut quisquis paupertatem amat, ità humilitati studet, ut quisquis humilitatem colit, paupertate delectatur. Christianæ perfectionis humilitas, regularis perfectionis paupertas basis est, ac fundamentum.

Virtute hac excelluit Antonius; nemo fortassè qui volun-

tariam plus amaverit paupertatem inventus est, & quidem, quod pauperiorem habuerit neminem universus quà latè patet Ordo Prædicatorum, transmisso scripto testatus est è Dominicanorum Conventus sancti Honorati Parisiensium cœtu vir gravissimus.

Qui in ipsâ votorum solemnium nuncupatione omnia propter Christum detrimentum fecerat, aurum, argentum, amplas facultates, opes copiosas, affluentes divitias ad extremum usque spiritum, ut stercora arbitratus est. Terrenam substantiam pondus reputabat, non subsidium. Nihil proprium dicebat, nihil possidebat suum; omnibus tamquàm commodatis utebatur; quodque peregrinum procùl à Patriæ finibus extorrem haberet sese, futuram Civitatem inquirebat, ad hanc Antonii vota suspirabant. Doctorem Christum audiebat, quià est veritas; pauperem Christum sequebatur, quià est via.

Sancti Patris Dominici exemplum secutus, temporalia vitæ subsidia, cum iter ageret, nulla deferebat, imò ab aliis spontè oblata, modestè respuebat, extremæ inopiæ incommoda alacri mente superabat.

Ab iis longè diversus, qui paupertatis titulo gloriantes, paupertatem quæ sequuntur incommoda, intentâ mente ablegant abs se, fiuntque, ut ait sanctus Augustinus, pauperes delicati, nedùm superfluis, verùm etiam necessariis destitutus superabundat gaudio, Deoque gratias agebat; non enim, ut monet S. Bernardus, paupertas virtus est, sed paupertatis amor & exercitatio.

Exquisiti nihil, prætiosi nihil ad usum adhibuit; duæ, tresve infabrè depictæ carthaceæ imagines, sella paleis contexta, nullius artis mensula, culcitrâ, ac cervicali stramineis, laneoque stragulo instructus lectulus, arctiorem Cellam ardonabant, missis quisquiliis, quæ puerum magis deceant, quàm virum.

Cujuslibet regularis Instituti vota professos monet Sanctus Augustinus, ut nolint vestibus placere, sed moribus, nè interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Consilii hujus memor Antonius, quique paupertatem diligeret, sed non sordes, obsoletam quidem, sed tersam ab ipso religiosæ vitæ tirocinio vestem induit. Mundus semper, mundulus nunquàm visus est.

Ab Eminentissimo Cardinali Hieronimo Grimaldy Aquensium Archiepiscopo, novâ veste donatus erubuit, nèc ausus est in publicum venire, suumque Cadenetense Domicilium regressus attristâ commutavit. Quæ paupertatem præmonstrarent, Religiosi viri divitias, ipsiusque præcipua ornamenta dictitabat.

Valentiores escas respuens, de imbecillimis parcè vescebatur; de insulsis, & inconditis nunquam conquestus est; in obeundis sacris missionibus, à ruricolis aggrestem in morem, vulgari cibo scilicèt, oleribus, ordeaceo pane, merâ aquâ exceptus gaudebat, sibique optatius nihil, nihil jucundius, quàm si in fenili (quod sibi frequentèr contigit) pernoctare cogeretur. Tùm solabatur socios, eosque ad majores pro proximorum salute subeundos labores hortabatur. Internum animæ gaudium, gaudiosa verba referebant.

Splendidâ supellectili, instructo Cubili exceptus, non plumeum, formæque elegantioris stratum adibat, sed aut nudo cubabat tabulato, aut duriusculo famuli cujuspiam lectulo paulùm quiescebat, ut amicæ paupertatis incommoda perpetuò sentiret.

Tantus inerat Antonio paupertatis amor, ut cupediam omnem, vel æger respueret; nèc medicum ascivit unquàm, nèc alicujus prætii pharmaco usus est: Æger olus manducabat, amariori intybo appetitum revelabat. Gravi morbo decumbens, missum sibi à prælaudato Domino *d'Oraison* perdicis pullum, ad Cadenetense Valetudinarium remitti præcepit, at, inquit, nèc pauperem decent voluptuariæ escæ.

Qui egenorum statum Regum opibus, ac splendori anteponeret, mendico vetustis, vilibusque laciniis operto, si quem haberet obvium, invidebat, illius esse usquequàque persimilem vehementèr optasset, illiusque vestem si præ honestate licuisset, alacritèr induisset. Dilexit Antonius decorem Domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus. Condecens, ac munda, ut esset sacra suppellex intento advigilabat studio: munditiam hanc Conventuum Prælatis, ac sacrarii Custodibus strictè commendavit; verùmtàmen prætiosioribus ornamentis, argento, auroque contextis, ægrè utebatur; quo factum est, ut Parisiensis Conventus cùm Priorem ageret, à Vindascini Comitatus viro nobili (hic

Parisios advenerat, ipsique Antonius fuerat Avenione à confessionibus) in ipso sacrario, die sollemni salutatus pergrave, ac splendidissimum Pluviale deferens, Præsbyterium ingressurus, ut sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in manus sumpto populo, benediceret, *en fili mi*, inquit, *quâ gravi, ac præfulgente Trabeâ onustus incedo, fœliciores nos, cùm Thori degentes leviùs vestimur.*

CAPUT VII.

Ejusdem Castimonia.

Pulchriùs nihil, nihil præstabiliùs, quàm castus Evangelii Minister, qui in carne prætèr carnem vivens angelicam æmulatur puritatem. Christo integerrimæ Virginis filio quodammodò similis, proximorum procurandæ saluti aptior fit, evangelicis laboribus gratiam accrescit ampliorem, ac fructuosior fit prædicatio; *nequè enim*, ait Gregorius Magnus *Opus bonum est aliquid sine castitate.* Hom. 13. in Evan.

Una hæc semper fuit Parisiensium Dominicanorum sententia, tot inter præsentis seculi pericula, prætiosum virginitatis lilium Antonium conservasse, sacramque Religionis vestem hoc ornatam monili induisse; hæc ad Dei gloriam testati sunt, qui de totâ vitâ confitentem audierant.

O mira Dei super filios hominum consilia! Nè magnitudo donorum extolleret Antonium datus est ei stimulus carnis, Angelus Satanæ, profectò, ut heroica tanti viri virtus perficeretur.

Cùm delectaretur legi Dei secundùm interiorem hominem, videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Qui ad luxuriam, ac blasphemiam impellit malus Demon, immani adeò bello servum Dei est persecutus, ut nihil ipsi diù, noctùque ab eo quietis concederetur; nùnc obscœnas species ejus menti vehementèr objicere, nùnc verba blasphemiæ auribus insufflare, nunc inordinatos concupiscentiæ motus in carne excitare.

Viribus, & animo defecisset, nisi Deus, qui in certamen induxerat pavidum, ut coronaret victorem, prestò adfuisset laboranti.

Ingravescente certamine quid agat Antonius? Infœlix ego homo, ait, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Vicem suam dolet, humi dejectus ad Deum confugit, ipsius opem lacrymabundus implorat, Beatissimæ Mariæ Virgini ferventiores fundit preces, se totum Confessario patefacit, ejusque exquirit consilia; nèc oratione modò, verùm etiam jejunio, genus hoc demoniorum conatur ejicere, ad salutiferum Pœnitentiæ sacramentum quotidiè recurrit.

Leves sunt, quos hactenùs pertulit cruciatus, si cum iis, qui ipsi restant perferendi comparentur. Gravissimis tentationibus diù vexatus lascivientis carnis incitamenta constantèr repulit à se, nèc eis, vel minimùm, est obsecutus; quoniam verò bonarum mentium est, ait Gregorius Magnus, culpam agnoscere, ubi culpa non est, timet Antonius, nè illecebram peccati, aut incautus admiserit, aut in reppellendâ fuerit deses: hæc volvens animo, accerrimis conscientiæ stimulis dies, noctesque pungitur, angoribus conficitur, mœrore contabescit; accerbus adeò est, ac vehemens quem patitur dolor, ut, vèl ipsa præcordia discerpi sibi videantur. *Contendunt nobiscum quotidiè tentationes, contendunt nobiscum delectationes; & si non consentiamus, tamèn molestiam patimur, & contendimus.*

Aug. in Psal. 148.

Nihil intereà de ardentissimo salutis animarum studio, nihil de consuetis pœnitentiæ, ac pietatis exercitiis remisit, jejuniis, vigiliis, cæterisque corporis afflictationibus impensè vacavit, noctes orando ducebat imsomnes, quinquennio in pane, & aquâ jejunavit, quamvis iter ageret, aut per sacros Quadragesimæ dies populis prædicaret; Sacellum Nostræ Dominæ *De Rochefort* in ipsis Ocitaniæ finibus percelebre nudis pedibus (qui etiam itineris processu duris offendiculis sauciati, copioso fluebant cruore) frequentèr adiit, sacris missionibus, vel apud hæreticos periculosis, vel apud Catholicos difficillimis, perseverantèr, infractoque ab laboribus animo, operam dedit, ut scilicet æffetum corpus menti servire cogeretur.

Tandèm quemadmodùm, cadentibus ventis, acquiescit mare, ut discusso nubilo, serenum fit sic, sedatis anxietatibus pristinis, optatâ diù animi pax Antonio reddita est. In Cebennarum regione missionem habens, cùm annos duos suprà

triginta bonum certamen certasset, subacto satanâ, tantâ à miserante Deo castimoniâ donatus est, ut omni imposterùm libidinis sensu carruerit, ac zonâ castitatis lumbos præcinctus, turpissimi vitii incitamenta non senserit.

Nèc tamèn fugatus hostis, frequentesque de Satanâ reportati triumphi, segnem egerunt Antonium; immundum spiritum, cum exierit ab homine reverti posse, Christo edocente, non nescit; quapropter cavere sibi, insidias suspicari, Demonis astus vereri, pericula prævidere, sensuum custodiæ advigilare, cilicio, flagellis, ferreo cingulo, aliisque pœnis corpus atterere non destitit. Aprimè sciens prætiosum castitatis thesaurum in vasis fictilibus habere se, sempèr pavidus, nunquam fuit securus, ut caveret timenda, etiam tuta pertimuit. Diffidens sibi, quodque impudicum oculum, impudici cordis nuntium esse, à sancto Augustino didicerit, tùm maximè ætate junior pepigit fœdus cum oculis suis, ut nè cogitaret quidem de virgine; à fæminarum consuetudine sempèr abhorruit, dejectis in terram oculis, nullam de facie novit, easque solius vocis sono dignoscebat; non nisi de Divinis cùm eis brevitèr colloquebatur, nunquàm verò solus neque in loco ab arbitris remoto: subductus socius ipsum non audire quidem, sed conspicari facilè poterat.

Feminis ingenio acutioribus loquacibus, ac facetis nullus apud Antonium erat auditus, eas verò quibus aurem daret confitentibus ad alium sacræ Pænitentiæ Administrum, vel reluctantes, identidèm remittebat, nè sibi nimiùm addictæ in angusto sint, nevè pietas ipsa in vitium verteretur: glutinosa nàmquè feminarum mens omnibus, quæ frequentat, adhæret.

Biennio antèquam è vita migraret, ab illustri eximiæ pulchritudinis feminâ Aquassextias, rogatu humili accersitus, ut de quibusdam magni momenti negotiis secum ageret, noluit aquiescere, eisqui, qui apud eum auctoritate valerent, constanti animo restitit. Hæc audiens Eminentissimus Cardinalis Grimaldy, ejusdem Civitatis Archiepiscopus, Pater Antonius, inquit, talis est, ut nemo ipsi sit castitate similis.

Dùm Avenione conciones ultimùm haberet, à viro nobili, iteratis precibus, tandèm obtinuit, ut inhonestam veneris effigiem concremaret; ad se missam, seque coràm explica-

tam noluit contueri, ne, inquit, ejus ſpecies menti meæ impreſſa remaneat.

Proh ſancte Deus! Antonius ſeptuagenario major, exhauſtis viribus, ſpontè ſuſceptis cruciatibus attritus, caſtimoniâ donatus, diffidit ſibi, timet, omne, vel leve criminis periculum reformidat, ſervandæ caſtitati totus advigilat, dùm juvenum plerique ætate firmâ, deliciis vacantes, à pœnitentiâ abhorrentes, variis concupiſcentiæ motibus agitati, nullam adhibent in præcavendo ſolertiam; quò fit, ut præſumentes de ſe, & de ſuâ virtute gloriantes humiliet quandòque Deus.

CAPUT VIII.

Antonii obedientia.

Vir obediens loquetur victoriam. Prov. 21. 28.

QUod victoriam locutus ſit ſervus Dei, mirùm nemini contingere velim. Vir fuit obediens, nedùm parentibus Domi, verùm etiàm in clauſtro Superioribus.

Obedientiæ votum in regulari Novitiorum profeſſione emiſſum, ordine ultimum, cæteris præſtat excellentiâ, merito, dignitate, perfectione. Contemnendum corpus, contemnendæ divitiæ aliis, digniora hoc voluntas, ſcilicet, libertas, anima Domino conſecrantur. *Obedientia*, inquit Gregorius Magnus, *victimis jure præponitur, quià per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* (Lib. 13. mor.)

Virtutem hanc in primis coluit ſervus Dei. Nondùm inſtitutâ Congregatione, cui plerumque præfuit, prælatos quos quot habuit in admirationem convertit; quàmvis in partem facile agebatur, flexibilemque præbebat ſe ad omne ipſorum imperium; feſtivè adeò, tantâque mentis alacritate eorum obtemperabat voluntati, ut inceſſeret eos cupido præcipiendi, ut obedientis delectaret diligentia.

Prælatos audiens, Chriſtum ipſum audire putabat Sancti Bernardi monito obſecutus, non attendebat qualis eſſet qui præciperet, hoc ſolum contentus, quod præcepiſſet: juniores præpoſiti eſſent, an ſenes, moroſi an faciles, commodi an graves, ſubaſperi an mites parem eis adhibebat reverentiam;

quippè qui

quippèqui Christi vicem gerant, ejusque personam exibeant.

Quoniàm hilarem datorem à Deo diligi sciret, non ex tristitiâ, aut necessitate, non servili metu, sed charitatis affectu, non timore pœnæ, sed amore justitiæ parebat: aberant excusationes, aberant obmurmurationes, aberant tædia. Quod jussus fuisset, seclusâ omni exceptione, exequebatur; non procrastinabat, sed statìm parabat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi. Se totum colligebat, ut mandatum perageret imperantis. Prælatorum voluntatem præveniens, quid optarent exquirebat; quiquid facto opus esset perfecturus. Tùm ipsissima ipsius erant verba hæc, *Ecce ego mitte me.*

Quod obedientiæ perfectio est, quod difficilius, quodque in inferioribus raró contigat, non actu exteriore solummodò Prælatorum jussa exequebatur, verùm etiam eorum consilia hàud perscrutatus, ipsis cum voluntate, judicium quoque submittebat.

Ut nihil dissimulem, emissâ sollemni professione, quod vehementiori ageretur perfectionis desiderio, ac magna ad Dei gloriam, & facere, & pati peroptaret, nollentque superiores ejus votis acquiescere, laboravit plurimùm, & quandoquè conquestus est; verùm, cùm id ei vitio dedisset Novitiorum Magister, gravioris culpæ reum incusavit se, nèc eam admisit inposterùm.

Tantum in virtutis obedientiæ studio, jam indè à principio processerat, ut Parisiis novitium agens mortem ipsam vel levi inobedientiæ prætulisset, accerbiora mala quandòque passus est, multisque victui necessariis religiosâ anxietate abstinuit, nè Prælatorum, quos statim adire nequiret, jussa violaret, eamque sibi ab initio intulit vim, ut obedientia sibi innata, non labore acquisita videretur.

Postquàm annos quinque suprà viginti Congregationi præfuisset, confectâ jam ætate, Patribus Joanni Dalmassy, & Hyancintho Faumont, qui ei in Vicarii Generalis officio successerant quasi verò puer iterùm effectus attentâ adeò mente obtemperabat, ut nihil sinè ipsorum consilio moliretur, totusque eorum nutupenderet.

Nequè præpositis tantùm, verùm etiam Confessario, quantumvis juniori, quemque habuisset Novitium, audientem

adeò præbebat ſe, ut ejus monita pro oraculis duceret, àc quemadmodùm in ſalutis viâ cæcutiret manuduci poſtularet. Se totum illi patefaciens, ſuam mentem, ſua conſilia; intimoſque animi ſenſus tantâ ſimplicitate aperiebat, ac ſi regularis Inſtituti tirocinium vix poneret, ac in Divinis rudis foret, àc peregrinus.

Maxima in hoc Dei famuli obedientia enituit, quod, eodem Confeſſario præcipiente, totius antèactæ victæ ſuæ hiſtoriam litteris commendavit: vix adſcribendum eſt adductus, quemque retrahebat humilitas, obedientia ſuperavit.

CAPUT IX.

Quæ de Antonio mirabilia prædicantur.

TAmetſi nihil reputaret ſe ſervus Dei, ſigna tamen Apoſtolatus ſui ſuper multos facta ſunt in ſignis, & virtutibus multis. Viventem, ac vita functum plurimis ferunt miraculis coruſcaſſe.

Præter ea, quæ ſuperiori libro ei divinitùs contigiſſe retulimus, non pauca de eo mirabilia prædicantur, quorum aliqua ſigillàtim recenſere nobis viſum eſt, tùm ut legentium animos religione augeant, tùm verò, ut admiranda Dei pietas in humanum genus ex beneficiis ſervorum deprecatione acceptis magis, magiſque eluceſcat.

Anno 1635. Avenione Romam profectus, cùm in Oppido *de Merindol* ad Druentiam flumen dies aliquot conſtitiſſet concionaturus, Elizabetam Blanc nobilem adoleſcentulam, impoſito ipſius capiti, quo ipſe veſtiebatur ſcapulari, à ſtrumis adeò liberavit, ut nè levem quidem hujuſce ægritudinis moleſtiam perſenſiſſe R. Patri Archangelo Gabriel affirmavit ejuſdem adoleſcentulæ Mater ætate longæva. Mulierem à menſibus octodecim paralyticam integerrimæ ſanitati reſtituit. Mulierem alteram à ſanguinis profluvio, & ſtomachi reſolutione, fuſis ad Deum precibus, curavit. Puellam tumeſcente, ac tranſverſo capite deformem; alteram verò brachii ſtupore perculſam, diſtortis oculis, cæcam ferè, ac ſurdam ad priſtinam valetudinem revocavit. Pueros duos

herniâ unum, confractis à lapſu humeris alterum ad ſanitatem reduxit. Aurialum *Fournilier* ruri degentem, à plantâ pedis ad renes uſquè, à tribus annis, abſquè ullâ recuperandæ ſanitatis ſpe, membris omnibus captum ſigno crucis, ſtupentibus parentibus, ſanavit; tùm diſtractis, quibus priuſquàm ægrotaret induebatur veſtibus, è lecto ſurgens novis indui poſtulavit: repentinæ hujuſce curationis teſtes fuerunt prædicti Oppidi incolæ omnes. Avenione anno 1634. cùm Magiſtri Novitiorum officio fungeretur, Eleonoram tertium Sancti Patris Dominici Ordinem profeſſam, graviter ægrotantem cùm inviſiſſet, quid hìc moraris filia? inquit, Noſtræ Dominæ de Donis Sacram Ædem (hæc eſt Metropolis) perge, ac Domum reverſa in te flagris animadverte. Paruit Eleonora, ac integræ valetudini reſtituta eſt. Eodem planè modo Maria *de Blondeau*, cujus ſanctioris vitæ geſta Antonius ipſe conſcripſit, à diuturnâ infirmitate curata eſt.

In Sacello *de Lagnés* Antonii orantis caput flammeus radius; ſpectante populo, non ſemel exornavit, ac facies reſplenduit. Ibi renovatum eſt miraculum quod, Prædicatorum Ordinis exordio, B. Patriarchæ Dominici precibus operatus eſt. Deus modica namquè panis, quæ ſuperfuerant fragmenta, quæ duobus reficiendis fratribus fuiſſent ſatis, ſic Antonii precibus multiplicavit Deus, ut duodecim indè refecti ſint. Antonio Romam appropinquanti Chriſtus apparuit, ac de inſtituendæ propediem Congregationis fœlici exitu fecit certiorem.

Propheticâ prænotione Dei famulum claruiſſe, ac ſecreta cordium non ſemèl penetraſſe omnium dùm viveret, fuit fama conſentiens. Quidquid Fr. Stephanus Converſus cogitaret, quidvè mente revolveret ipſi patefecit, ac diſtinctè explicuit. Hæc anno 1702. in Saltuenſi Conventu eumdem Stephanum ſexagenario majorem ac veritatis amicum enarrantem ipſemet audivi.

Anno 1664. quod graviſſima Maſſiliæ peſtis immineret, magna ſubiit civibus trepidatio. Recipere ſeſe, ac in tutum abire præſto ſunt. Quid agant, quidve conſilii capiant Antonium conſulunt Monaſterii ſanctiſſimi Sacramenti Moniales, ipſe verò datis litteris timore liberat, ſecuritatem facit, àc contagio immunem fore Civitatem, conceptis verbis, reſcribit.

Urbe totâ diſſeminato Antonii reſponſo, cùm ex timore

collegerint ſe Maſſilienſes, domi remanent, ad propria redeunt, qui abierant, & ab infligendâ divinitùs calamitate, famuli Dei precibus, liberatos ſe, unâ voce confitentur.

In Oppido de Cadenet Franciſca Brun paralytica defuncti pheretro admota, ingenti omnium ſtupore, & gaudio ſanata eſt, ac vitam duxit longiorem incolumis. Alia multa refert Archangelus Gabriel Antonii miracula; hæc prætereo, nè longior ſim.

CAPUT X.

Antonii Opera aſcetica & hiſtorica.

AUgendæ fidelium pietati, aut propugnandæ adverſus hæreticos Catholicæ religioni eggregiam, quandiù vixit, navavit operam ſervus Dei, ut ex prædictis conſtat; quædam tamèn, ſubciſivis horis, ad ampliorem, tùm Congregationis fratrum, tùm SS. Sacramenti Monialium inſtitutionem, opera gallicè compoſuit. Sunt autem hæc.

Vita Chriſti abſcondita, à duodecimo, ſcilicet, ad trigeſimum uſque ætatis annum. Avenione impreſſ. anno 1659. & iterum ibidem, poſteà Biterris 1662. Opellam hanc italicè redditam Eminentiſſimus Cardinalis Antonius Barberinus Romæ excudi curavit. Sanctificatio animæ ideſt de his quæ ad chriſtianam perfectionem maximè conducunt. Opus poſthumum ipreſſ. vvenione anno 1685.

Directorium ſpirituale. Docet quæ agenda, quæque ab iis ſunt vitanda, qui virtutem ſectari, vitamque ſanctiorem ducere ſincerè deſiderant.

De abnegatione ſui ipſius. Hoc in opere à temporalium rerum cognitâ vanitate, animam ducit ad earumdem contemptum, ut ſoli Deo adhæreat, eumque diligat ſuper omnia.


Jeſu Chriſti in animam amor. Dialogus eſt, ceù colloquium. Chriſtus exponit animæ ſponſæ, quæ ipſi hactenùs præſtitit bona, quæ quotidiè præſtat, quæque inpoſterùm præſtanda diſponit in triplici ordine naturæ, gratiæ, & gloriæ. Chriſto anima reſpondet ardentiſſimis amoris, ac gratitudinis affectibus.

Vita Venerabilis Mariæ *de Blondeau* Tertii Ordinis ſancti Patris Dominici ſororis, ac Avenione virtutum famâ percelebris.

Relationes, ceù vitæ ſuæ, ac geſtorum commentarii hiſtoricè conſcripti. Hoc in opere fuſiori narratione conſcripto, & quadrifariam diviſo, hæc præſtat. Primo ſigillatìm refert quæcumque ſibi in inſtituendâ congregatione contigere. Secundò cauſas exponit, quæ ad hanc inſtituendam potiſſimùm impulerunt. Tertiò percenſet difficultates, quoſque labores habuit perferendos in hujuce operis exſecutione. Quartò ad ſuorum preces, vel etiàm prævio confeſſarii juſſu, ad majorem Dei gloriam enarrat gratias omnes, quibus à miſerante Deo donatus eſt.

Spiritualium exercitiorum liber in duas partes diſtributus. Primâ Novitii ad emittendam profeſſionem, alterâ verò ordinandi ad ſacros Ordines ritè ſuſcipiendos diſponuntur.





LIBER TERTIUS.

ANTONII DISCIPULI PRÆSTANTIORES.

Cum ſacro eloquio teſtante, gloria Patris ſit filius ſapiens, Antonii à Sanctiſſimo Sacramento laudibus plurimùm detrhaxerim, ſi eorum, qui ejuſdem præceptis, ac diſciplinâ eruditi inſtitutam ab eo Congregationem potiſſimùm illuſtrarunt virtutes, vel ſtrictìm non recenſeam. Id, ut opinor, poſtulat ſuſcepti operis ratio.

CAPUT PRIMUM

Joannes Dalmaſſy à ſanctiſſimâ Trinitate.

FEcit Deus Antonio adjutorium ſimile ſibi, quâ die Joannem Dalmaſſy perduxit in lucem. Hic, ob præclaras quibus pollebat animi dotes, morum integritatem, ſcilicet, animi fortitudinem, perfectam diſciplinæ regularis obſervantiam, ac ardentiſſimum ſalutis animarum ſtudium famulo Dei fuit ſempèr gratiſſimus. Firmiſſimum inſtitutæ Congregationis fulcimentum, fidelem, vel in rebus gerendis, vel in laboribus perferendis datum ſibi à Deo comilitonem dictitabat, eumque à ſuſcepto regulari habitu nè levitèr quidem conſultâ voluntate, peccaſſe ſæpenumero conteſtatus eſt.

Jac. Ech. tom. 2. Non Glandevæ, ut nuperrimus Author ſcripſit (ampla enim, & perantiqua Civitas hæc, Alpium maritimarum Metropolis circà annum 700. à Sarracenis, ut ferunt, funditùs everſa, extat nomine tenus, civeſque, ſedatâ tempeſtate, ad amplificatum Oppidum d'*Entrevaux* domicilium tranſtulerunt) ſed in eo Comitatus Nicænſis, ac Diæceſis Glandevenſis Oppido, quod vocant *les Cros* copioſis, nobilibuſque parentibus anno à Virginis partu 1609. die vigeſimâ octavâ Septembris natus eſt.

Fratris sui filius Niceam cum totâ familiâ translato domicilio, ibique obtentâ Senatoris ampliori dignitate, sapientiâ, morumque integritate omnibus, quoadvixit, præfulgere visus est. Posteri Consulatu, reique politicæ præfecturâ eggregie perfunguntur, dùm hæc scribo.

Piè, ac ingenuè in Patriâ educatus, domestici Magistri curâ primis litterarum rudimentis imbutus, ab eoque grammaticam edoctus, Aquassextias, studiorum causâ, missus, magnos ad sciéntiam, majores ad pietatem habuit progressus.

Ibi juris sui quodammodò factus, ad orationem cæpit jejunium adhibere, animam frequentiori Sacramentorum usu reficere, vigiliis, arctiorique pœnitentiâ corpus atterere. Clarissimum ibi virtutum omnium, præsertim verò castimoniæ, humilitatis, ac modestiæ specimen exibuit se. Ibi ardentiori charitate proximos complexus; defraudabat se victu suo, vestituque elegantiori, ut missam à prædivite Patre copiosam pecuniam, largiori manu, in sinu pauperum absconderet: proindè ac si Monachi professus fuisset institutum, perraro procedebat in publicum, cœtus devitabat, conviviis non intererat, refugiebat à ludis, abhorrebat spectacula; conclusus Domi, aut studio, aut piorum librorum lectioni vacabat. Bis tantummodò uno die parco utebatur cibo, potuque, nèc à laudabili hac consuetudine, aut amicorum inductu, aut condiscipulorum molestiis recessit.

Copiosa, ac percelebris Aquissextiarum Civitas, cujus perelegantes ædes, ampla compita, ad amussim directas vias, rhedarium curriculum salientibus aquis, ulmisque frondosis duplici ordine hìnc, indè digestis, ornatum mirantur alienigenæ, Joannem curiosum non habuit; quæ ad Ecclesiam, aut Collegium viam duceret tantummodò novit, toto quo tempore, Aquissextiis est commoratus.

Nèc propterea ab comitate alienum, aut à naturâ tristem quis dixerit: Jucundæ consuetudinis adolescens fastidiebat quidem quæ mundi sunt, verumtàmen piis exercitiis potissimùm delectatus, internum animæ gaudium ipso vultu præferebat.

Quod cœlestem Jerusalem jàm tùm conspiceret, defixumque teneret ad Christum mentis oculum, perfectioribus destinari, altiùsque Dei gratiâ provehendum præsagiebant

Aquiſſextienſes, nèc falsò ſunt ominati; novemdecim quippè annos natus, humaniorum litterarum peracto curriculo, mundo, cui nunquàm adhæſerat, nuntium remittere ſecretò conſtituit.

Nèc parentes latuit diù ſuſceptum à cariſſimo filio conſilium; hoſpes namquè piiſſimi adoleſcentis mentem ſubodoratus, optimum factu judicavit, ſi eos per litteras commoneret: hi verò quod maximam in Joanne reponerent ſpem, quique Ordini Eccleſiaſtico, aut ſeculari Dignitati filium deſtinaſſent in mœrore verſati ſunt ex nuncio.

Mater, quæ ad perſuadendum aptior viſa eſt, quæque apud Joannem auctoritate, & gratiâ plurimùm poſſet, Aquaſſextias nihil cunctata venit, ut Joannis voluntatem, aliò flecteret: nèc triginta leucarum ſpatium à ſuſcipiendo longiori itinere fœminam deterruit.

Ut filium vidit lacrymis ſtatim locuta eſt, quæ voce non poterat, eum eſſe ingratum criminata eſt, ſua illi exprobravit officia: heù, inquit, in parentes filiorum pietas! O infœlicem me! Siccinè lac triennio dedi, & alui, ut nos deſeras! Nihil mihi, Patri tuo nihil ad dolorem accerbiùs accidat.

At verò quod firmavit Deus commovere, quodque plantavit revellere quis valeat? Dolorem tuum doleo, Mater amantiſſima, reſpondit Joannes, gratiam agnoſco tuam, nèc beneficiorum immemor ſum, at hæc Chriſti vocantis injuria eſt expectare placiturum: frater mihi eſt natu minor, hic amplam, nèc invitus hæreditatem admittet.

Quàm pulchra juvenis virtus? iratæ Matris vultum ſuſtinet, nullis blanditiarum illecebris, nullis percenſitis honorum titulis, non allatis prætioſis veſtibus, ac molliori linteo, à propoſito dimovetur; Matri uberrimè flenti conſtanti animo reſtitit, internoque Chriſti vocantis amore, tenerum ejus affectum ſuperavit.

Victor è periculoſo certamine, ut Chriſto arctius conjungeretur, ad Prædicatorum Avenionenſe domicilium eruditione, aſperiori victu, ac regulari obſervantiâ in primis commendabile profectus, regularem habitum humiliter petiit, ac tranſactis quindecim circitèr diebus, inexplicabili mentis gaudio obtinuit.

Voti

Voti compos effectus, quibus anteà virtutibus Aquisſextiis claruerat, Avenione multò magis præfulgere viſus 'eſt, eo progreſſu, ut in ipſo Religionis tirocinio, humilitate, obedientiâ, pœnitentiâ, ac mentis fervore provectioribus ipſis eſſet exemplo.

Anno Domini 1629. ætatis verò vigeſimo, emiſſâ ſolemni profeſſione, philoſophiæ, deìn ſacræ Theologiæ addictus, pietatem à ſtudio non ſeparans, ad Dei amorem, cæleſtisque Patriæ deſiderium condiſcipulos inflammare nitebatur.

Intereà Antonio anno 1631. Pariſiis Avenionem advenienti, ut Magiſtri Novitiorum fungeretur officio, ſeſe diſcipulum junxit, eumque in arcta ſalutis via ducem elegit.

Cùm primùm mutuò viderunt, & collocuti ſunt ſanctioris amicitiæ fœdus inierunt, collatiſque inter ſe conſiliis inſtituendæ novæ Congregationis, quæ habendis ſacris miſſionibus potiſſimum incumberet, reditusque nullos poſſideret, iniere ſententiam. Exindè Antonius Joannem habuit indivulſum comitem, ac in ejusdem Congregationis propagatione adjutorem, ac collegam fideliſſimum; anima Antonii conglutinata eſt animæ Joannis, & dilexit eum quaſi animam ſuam; enim verò æquo pede ad virtutem feſtinabant, æquali ſtudio peroptabant ſalutem proximorum.

Extructo Thorenſi Domicilio, præditusque Sacerdotio Joannes, factâ ſibi à Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro poteſtate, Dei famulum incunctantèr adiit, quemque cuilibet obeundo muneri idoneum cupidius expeteret Antonius, advenientem lætus excepit, quodquè ſibi optatius nihil, nihil ad perficienda cogitata utilius contigerit, Deo gratias egit. De tali acquiſito viro gratulati ſunt amici.

Nè verò lucerna ſub modio deliteſceret, Antonius novæ Congregationis Vicarius Generalis Joannem quantumvis juniorem Thorenſis Conventus Priorem inſtituit. Hic porrò piiſſimo Magiſtro haud abſimilis, incenſo diſciplinæ regularis ſtudio, aſperrimo victu, perpetuo fermè jejunio, inſolitis ſui corporis afflictationibus, mentis recollectione, nècnon eximiâ charitate mirabilis effectus eſt. Thorenſis Conventûs fratres Prioris optimi exemplum ſecuti, ad perfectiora contendebant, alteri, ex alterius conſpectu, vehementèr accendebatur imitandi deſiderium, ardenſque exequandi ſollicitudo;

adeò ut Thorensis Prædicatorum familia Avenione, ac in toto Vindascino Comitatu summis laudibus celebraretur, ipseque Reverendissimus Nicolaus Rodulphus Generalis Ordinis Magister, de primævi fervoris renovatione summoperè lætatus sit.

Qui blandientem mundum contempserat, sævienti non cessit. Ob varios adversæ fortunæ casus nulla apud Joannem contigit immutatio, aut animi dejectio; qui non extolleretur prosperis, non frangebatur adversis. Antonii exemplo, assumptâ, ut diximus, pedum nuditate, sanas, irrisiones, ludibria non erubuit: injurias cum sacris missionibus interesset ab hæreticis non semel illatas, læto semper animo pertulit, gaudebatque si pro nomine Jesu contumeliam pati contigisset. Antonium è Thorensi, ac Massiliensi Domibus depulsum, Romamque proficiscentem aliis aliò abeuntibus, secutus est: occumbat potius, quàm illum deserat, *eamus*, inquit, *& moriamur cùm illo.*

Taurino, quò commendatitias litteras à Serenissimo Sabaudiæ Duce impetraturus perrexerat reversus, audiens Antonium apud centumcellas, Reverendissimi mandato fuisse detentum, illùc adiit, ut si opus fuerit, afflictum à mœrore famuli Dei animum erigeret. Tùm ibi, tùm Romæ secum permansit in tentationibus suis.

Anagniæ mentali orationi dùm vacaret in choro, magno circumdatus lumine non semèl visus est. Piperni annum commoratus nec semèl quidem egressus è conventu, spiritualibus exercitiis intentus, insigne reliquit cujuslibet virtutis exemplum.

Reditâ tandèm Thorensi Domo, congregatisque, qui dispersi fuerant fratribus, salutis animarum studio vehementèr accensus, ac in Patris familias excolendâ vineâ indefessus operarius, ab Antonio congregationis Vicario Generali humili prece obtinuit anno 1652. ut, sibi adjuncto Antonio à Jesu, ad superioris Gallo-Provinciæ partes prædicationis causâ, mitteretur.

Ibi quinque annorum spatio Diæceses quatuor Senecensem, scilicet, Glandevensem, Grassensem, ac Venciensem, omni indiscriminatim tempestate, prædicando peragravit, non montes perpetui, non salebris frequentes viæ, non hyemis frigora, non æstatis ardores à prædicatione deterrebant. In haben-

dis miſſionibus fervorem, in perferendis laboribus patientiam omnes mirabantur; enim verò nemo in arduis Joannem conſtantiâ ſuperaverit. Groſſiori pano utens, æſtate ſæviente, toto Ordinis habitu indutus vel iter faciens incedebat.

Ingens populus ad eum audiendum, cum fervidas haberet conciones, undèquaque confluebat, tùm, ut ſalubria monita, tùm ut conſolationem, opemque perciperet.

Prophanis cantilenis, quæ Chriſtianos maximè dedeceant, quæque bonos adoleſcentium animos corrumpant, Cantica ſpiritualia, quibus fidei rudimenta, ac præcipua chriſtianæ religionis myſteria pueri edocerentur ſubrogavit. Permulta horum exempla typis mandata gratis diſtribuit: hæc vel ipſe, vel ſocius, congregatis pueris, decantabat, ut addiſcerent: hæc in Paræciâ *du Broc* Diæceſis Vencienſis, nonageſimo poſt anno, dùm in Eccleſia cantarentur, audivi ipſe, & lætatus ſum.

Ut ad populi intelligentiam diceret accommodatiùs, vernaculo gentis ſermone, verbiſque ad auditorum conſuetudinem aptis, ut plurimum utebatur. Rejectis quibus Provinciales abundant facætiis, gravis, ac ſeria ſemper fuit Joannis oratio: ſapientibus, ac inſipientibus debitor, omnibus omnia factus eſt, ut omnes Chriſto lucrifaceret.

Cathechiſtæ functus officio, rudium, ac ruricularum inſtitutioni diligentèr attendebat, ruſticitate non offendebatur, nèc deſperabat de profectu; adeò ut innumerabiles ex ejus concionibus fructus in totam illam regionem dimanaverint; refloruit juſtitia, & Sacramentorum uſus, extincta ſunt odia, ſublatæ blaſphemiæ, eliminata perjuria.

Quanta porrò in hiſce montibus pertulerit incommoda haud facilè quis dixerit; fenile namque, vel etiam ſtabulum pro tecto habuit ſæpenumero, mera aqua potum, arinceus panis, & inſulſa legumina cibum, ut plurimùm, tribuebant; denſâ nive cadente vix quandòque oppreſſus non eſt; à viâ devius, aut longiori itinere fatigatus ſubdio pernoctare non ſemel coactus eſt. Tùm de ſocii cariſſimi tuendâ valetudine magis ſollicitus, quam de ſuâ, ipſi ſuadebat, nèc difficultèr, ut omnia, Chriſti causâ, ſuperaret, nullos enim hujuſmodi paſſos, abſque remuneratione dimitti patietur.

Eâ præſtabat animi ſubmiſſione, ut mortalium abjectiſſi-

mum putaret se, aç peculiari sibi gloriæ duceret ab omnibus contemni, & malè haberi. A Reverendissimo Domino Renato le Clér Glandevensi Episcopo, singulari probatâ Joannis humilitate, maximum suæ in tantum virum existimationis, ac benevolentiæ accessit incrementum. Quod nihil sit, quod malè narrando depravari non possit, Zelotipus quidam (nomini parco) de in consultâ, ut falsò affirmabat, Joannis in habendis missionibus agendi ratione cum fuisset conquestus, accersiit eum Præsul, subiratus est advenienti, verbisque asperioribus insectatus est.

Servus Dei, qui sui despicientiam desideraret, culpæ nullius conscientiâ sustentatus, quique adversarios non retorquendo vinceret, sed patientiâ superaret, veritus præterea, nè dùm defenderet se, calumniatori non parceret, omni postpositâ excusatione, dejectis in terram oculis, serenoque vultu audivit tacitus, innocentiam non defendit. Audiebat quæ adversum se dicebantur testimonia, & non respondit ad ullum verbum ità ut miraretur Præsul vehementèr.

Hic adhibitâ diligenti inquisitione, reique perspectâ veritate, sycophantam condemnavit, Joannem verò exquisitissimis verbis laudavit, eumque intèr Missionarios sanctiorem pronunciavit. Antonio Româ Glandevam advenienti de tanto operario gratulatus est.

Peculiari ergà Beatissimam Mariam Virginem affectu, sacri Rosarii Societatem in singulis prædictarum Diæcesum parœciis, obtentâ à Reverendissimo Ordinis Magistro facultate, instituit. Rosarium ipsum, aut ex tribus partibus unam publicè, & alternàtim, adjunctâ mysteriorum meditatione, quotidiè vespertinis horis in cujuslibet Civitatis, aut Oppidi sacrâ Æde, recitandi morem induxit. Piâ ac laudabilis hæc consuetudo, quod certum scio, viget etiamnùm.

Anno 1657. die secundâ Aprilis, habitis Venciæ per sacros Quadragesimæ dies ad populum concionibus, festivo apparatu solemni habitâ suplicatione, maximoque populi concursu eamdem cum instituisset sacri Rosarii Societatem, Reverendissimus Episcopus Antonius *de Godau* pietate, ac eruditione notissimus, eidem primus adscribi voluit: RR. Domini Venerabilis Capituli Præpositus Theologus Æditus, omnesque ad unum Canonici, Præsulis exemplum secuti sunt. Octin-

gentorum utriuſque ſexus Vencientium Civium nomina, uno die in ejuſdem Societatis libro, ſuapte Joannis manu deſcripta, ipſe legi anno 1752.

Joannem prælaudatus *de Godau* aſſiduè libentèrque audiebat; ipſiusque prædicandi modum ut cæteri concionatores fuerint imitati, vehementèr optaſſet Præſul doctiſſimus; non enim doctas fabulas ſecutus notam faciebat populis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem, ac ſapientiam; utriuſque Teſtamenti, ſancti Pauli epiſtolarum, ac ſanctorum Eccleſiæ Patrum, tùm maximè magni Chryſoſtomi auctoritates, appoſitè adeò adhibebat, ut fructuoſa ſempèr fieret oratio. Intentatas olìm à Prophetis pervicaci Judæorum populo minas, validâ adeò voce repetebat, ut audientium animos terrore concuſſos emolliret ad pœnitentiam. In fœneratores vehementèr invehebatur; horrorem luxuriæ ingenerans, caſtitatis laudes, ac prœmia extollebat: quæ lethale peccatum graviora mala ſequantur, apoſtolico zelo denunciabat, quodque efficacius eſſe ſolet, fuſis ad Deum precibus proximorum converſionem expoſcebat. Voci pondus addebant lacrymæ ex Joannis oculis defluentes.

Tot intèr labores internâ animi ſuavitate adeò recreabat illum Deus, ut ad ipſius laudes decantandas iter agens, ac præruptos ſuperioris Gallo-Provinciæ montes tranſcendens erigeretur, magnamque, leni Sermone, adderet ſocio alacritatem.

Has porrò animæ delicias aſperrimo vitæ genere merebatur. Nemo fortaſſè carnem ſuam majori habuit odio; inimicam vocabat omni aſperitate cruciandam; corpus ſuum ſingulis noctibus, Patriarcham Dominicum imitatus, ferreâ catenâ cædebat, aſperrimum cilicium, diriſque aculeis armatum cingulum ad obitum uſque geſtavit, illudque, nèc iter agens, aut ægrotans dimiſit. Laneâ interulâ, vel æſtate ſæviente, ſemper uſus, à carnibus perpetuò abſtinuit, neque frequentiori quamvis itinere fatigatus, equitare viſus eſt. Præſcripta in ſacris Ordinis noſtri Conſtitutionibus à feſto Exaltationis ſanctæ Crucis uſque ad Paſcha jejunia per quàm accuratè ſervabat; ut medicamenta, ſic alimenta ſumpturus, ad menſam accedebat; extremæ inopiæ incommoda læto animo perferebat. Uno verbo dicam. Odio habebat animam ſuam in hoc mundo, ut eam in vitam æternam cuſtodiret.

Qui verò diſtrictam in potu parcitatem ſervare, , vino aut abſtinebat aut parciſſimè utebatur, de aquâ frigidâ verò, quemadmodùm de Beatiſſimo Franciſco narrat ſanctus Bonaventura cum ſitis æſtuaret ardore, vix audebat ad ſufficientiam bibere : groſſiori panno, ut prænotavimus, veſtiebatur; experientiâ namque didicerat malignos hoſtes aſpero indumento in fugam converti, molliori verò ad tentationem fortiùs animari.

Antonii rogatu Congregationis Vicarius Generalis à Reverendiſſimo Joanne Baptiſta de Marinis Ordinis Magiſtro inſtitutus, & ad propria reverſus, paſtoris optimi partes explevit.

Hac auctus dignitate in fulcienda regulari obſervantiâ, ac promovendis ſacris miſſionibus adeò enituit, ut eidem Reverendiſſimo gratus admodum factus ſit.

Ad Oppidum *de Cadenet* profectus, ut conſtruendo ibi novo Domicilio advigilaret, fundamenta effodere, cementario Opifici inſervire, non eſt dedignatus, virtutum namquè omnium parentem humilitatem, eò ab emiſsâ profeſſione impenſius coluit, quò uberius cœleſtibus donis afflueret, omnibus ſubeſſe diligentiſſimè ſtudens, fratribus ſuis inſervire, ac viliora obire miniſteria lætabatur.

Tandem continuis ſpontaneæ pænitentiæ cruciatibus exhauſtus, gravi morbo correptus eſt in ſeculari Domo Conventui ædificando propinquâ. Infirmatus ad mortem tanto mentis fervore, eaque pœnitentiâ ductus eſt, ut nèc Medici operam deſideraverit, nec carnibus, niſi uno, qui præceſſit obitum die, uſus ſit.

Præmiſsâ totius anteactæ vitæ confeſſione, ſacræ Euchariſtiæ viatico refectus, Unctione extremâ præmunitus, genuflexus, toto Ordinis habitu indutus, ac extremo lectulo, interpoſitis manibus, demiſſo capite, innixus, dùm Jeſu-Chriſto gratiis agendis eſſet intentus, meritis plenus, omniumque virtutum famâ percelebris placidiſſimè obdormivit in Domino anno 1662. die decimâ ſextâ Novembris circà horam primam matutinam.

In eodem, quem diximus ſtatu Joannem mortuum reperere Cadenetenſis familiæ Religioſi viri, qui ad modicum receſſerant, ut, ſumptâ Euchariſtiâ, Deo liberiùs vacaret.

Invenuſtus homo dùm viveret aſpectu pulcher mortuus appa-

ruit: puerilia, non viri grandis membra flexibilitate dixeris. Eodem quo obiit momento Joſeph *de la Foreſt* puellulus, in cunis degens, atonitis parentibus Joannis tranſitum nunciavit. Novem poſt menſibus ut, extructâ Cadenetenſi ſacrâ Æde, communi Sacerdotum tumulo corpus inferretur, incorruptum, integriſque veſtibus obvolutum inventum eſt, quamvis ſubdio ſepultum, ac extantes ex novi ædificii tecto tegulæ ad ipſummet & ſepulturæ locum pluviam aquam diffunderent.

Permulti Joannis Patrocinio plurimis à Deo gratiis donati perhibentur. Quoniàm ſic certavit, ut vinceret, ſic cucurrit, ut comprehendiſſe credatur, in anguſtiis, in periculis, in rebus dubiis ipſius opem implorare conſueverunt Cadenetenſes. Famulo Dei Antonio oranti, magno circumdatus lumine, apparuit, ac de fœlici æternæ ſalutis ſtatu fecit certiorem.

CAPUT II.

Antonius San-Leger *à Jeſu.*

AQuiſſextiis, quæ eſt Gallo-Provinciæ Metropolis, anno 1621 die undecimâ Martii ingenuis parentibus ortus ab ineunte ætate morum candore, ac innocentiâ præfulgere viſus eſt, quodque pia Mater teneram illius ætatem ad optima quæque ſtudia fingere niteretur, oratione, piiſque exercitiis adhùc infantulus delectabatur.

Adoleſcens humaniores litteras in Patriâ edoctus, illecebras ſeculi, auxiliante Deo, ac Beatiſſimæ Mariæ Virginis ope protectus, illibatam à quolibet lethali peccato animam ſervaſſe, Antonius Congregationis inſtitutor ſæpenumerò affirmaſſe dicitur.

Intèrim aſſiduis precibus, jejuniis, ac frequentiori Sanctiſſimæ Euchariſtiæ uſu rectam vitæ normam cùm per annum poſtulaſſet, Antonii prædicti famâ percrebreſcente, ejuſque virtutum odore allectus Thorum venit, nequè inordinatus parentum amor, aut mundi oblectamenta, ſuſceptum conſilium retardarunt.

Tùm nupèr institutâ Congregatione, clericali Ordinis habitu anno 1646 primus indutus est, quodque primitias spiritûs hauserit, instituti sui legum, ac paternarum traditionum abundantius æmulator postmodùm effectus est. Obsecravit, ut fieret in se duplex Antonii spiritus, pœnitentiæ, scilicet, & salutis animarum studii; ipsique fuit quod petiit. Jam indè cùm Gregorio Magno noverat ad magna præmia perveniri non posse, nisi per magnos labores; cujus propterea mentem delectabat magnitudo præmiorum, non victûs asperitas, non arctior pœnitentia, non continui fermè sacrarum missionum labores juniorem Antonium deterruere.

Insequenti anno, die trigesimâ Novembris Sancti Patris Dominici Ordinem professus, eamdem vitæ rationem, quam sibi primùm constituerat, ab obitum usquè perseverantèr tenuit, sempèr sibi constans, à seipso non discessit.

Accuratè adeò Ordinis sui statutis ab initio paruit, ut absolutissimum Observantiæ regularis exemplum ab omnibus passìm diceretur. Jejuniis, vigiliis, ac flagellationibus carnem domans, ad religiosæ perfectionis apicem pervenire nitebatur.

Insignis operæ, ac ministerii vir omnibus fermè Congregationis Conventibus, continuatâ successione, præfectus regularem disciplinam, quâ verbo, quâ exemplo mirificè fovit, utque eam ab omni laxitate immunem servaret, omnem posuit operam, nullique labori pepercit. Pervigilabat quasi rationem pro animabus fratrum redditurus; ipsi verò quod jussisset faciebant cum gaudio, & non gementes, tanti Prioris exemplo, ac frequentiori adhortatione, ad sectanda Sanctorum vestigia roborati.

Fratribus suis charitate, Reverendissimis Episcopis obsequio, Magnatibus simplicitate, populis affabilitate, Deo placuit humilitate. Sanctissimi Patriarchæ Dominici gloriam & exempla speculando in eandem imaginem transformati, ac instituti. Sui finem obtinere sedulò nitebatur.

Quod ingenium acceperit à Deo, ad missiones accommodatissimum, quod nullis laboribus frangeretur, quodque ardentiori animarum salutis studio flagraret bis quandoque, vèl etiam tèr uno die habebat ad populum concionem, quodque recitatis precibus, sacroque peracto, supererat temporis,

poris, audiendis fidelium confeſſionibus tribuebat, eâ animi contentione, ut de cibo, ac potu nihil curaret, ſuique oblitus videretur. Horâ tertiâ veſpertinâ jejunus plerumque inventus eſt, quique nedùm algoris, ac vigiliarum, verum etiam inediæ patiens eſſet, ipſum diem cibi expers non ſemèl tranſegit.

Joannis Dalmaſſy in habendis per annos quinque in ſuperiori Gallo-Provinciâ difficillimis miſſionibus ſocius, cum eadem pertulerit incommoda, laborum eorumdem cum fuerit particeps, eisdemque virtutibus claruerit parem gloriam promeritus, pari laude dignus eſt, quæque de Joanne, præcedenti Capite, diximus, de Antonio, habitâ ratione, fuerint repetenda.

In magnis, arduiſque negotiis capeſcendis alacritas, vèl in gerendis conſilium, & cautio Antonio non defuere; quaproptèr à Reverendiſſimo Claudio *de Ruffier* Tricaſtino Epiſcopo, in diverſa Diœceſis ſuæ loca, conciliandæ pacis arbitèr identidèm miſſus, controverſias omnes, magno partium conſenſu, ac approbatione diremit. Graviora, quæ emerſiſſent negotia ipſi commendare ſolitus, operariis quatuor ipſum unum æquivalere, ac prudentiſſimum Antonium doctioribus anteponendum dictitabat Præſul piiſſimus.

Piarum rerum benè peritum, ac in æternæ ſalutis viâ ductorem, exercitatione edoctum exquirebant, hi vèl maximè, qui Chiſtianam perfectionem aſſequi deſiderarent. Nedùm Laïci, verùm etiam ſeculares Præsbyteri, àc regularem diverſorum Ordinum ſtatum profitentes ipſum frequentèr conveniebant, ut ipſius conſiliis proficerent. Antonio Congregationis Inſtitutori, annis quatuordecin fuit à confeſſionibus, nèc morienti, qui ferret opem alium deſideravit.

Majorem charitatem nemo habuit, quandoquidèm animam ſuam poſuit pro fratribus ſuis; Cives Oppidi *de Bedoin* magnâ ex parte pleuritide laborantes diù, noctùque, infractâ fiduciâ, inviſens, eodem ipſe morbo affectus eſt, cum quo dies ferè ſeptem luctatus ad extrema ſenſim deveniens, ſanctioris vitæ curſum prætiosâ morte confecit anno 1679. die vigeſima-primâ Aprilis.

CAPUT III.

Petrus Galbart *à ſancto Dominico.*

AUriliaci, quæ Arverniæ copioſa Civitas eſt, anno 1620. die undecimâ Februarii in lucem prodiit. Adoleſcens, ſtudiorum expleto curriculo, divitiis, & commodis omnibus proptèr Chriſtum abdicatis, Ordinem Prædicatorum in Provinciâ Ocitaniæ profeſſus eſt.

Quò ſecuriùs ad bravium ſupernæ vocationis Dei pertigeret, ad majora extendens ſeipſum, ut audivit inſtitutam in Vindaſcino Comitatu Congregationem, in quâ Ordinis Prædicatorum conſtitutiones, abdicatis poſſeſſionibus, ac redditibus, inviolatè ſervarentur, obtentâ à Reverendiſſimo facultate, ad eam, nullâ interpoſitâ morâ, convolavit.

In ſententiâ firmus, ac propoſiti tenax, volabili, varioque ingenio nunquam viſus, ſecundum propoſitum quod elegit, ſivè gratiam, quam accepit, ad operis abrepti perfectionem feſtinabat pervenire. Recèns inſtitutæ Congregationis aſperrimum victum, ac ſummam paupertatem, eo mentis fervore, complexus eſt, ut omnibus admirationem afferret, eoſque qui à teneris annis eidem Congregationi nomen dediſſent, arctiori pœnitentiâ, ardentiſſimo ſalutis animarum zelo, mentiſque recollectione æquaret, nè dicam antecelleret. Laudabiles ab Antonio inductas conſuetudines, nedùm ipſe perquàm accuratè ſervabat, verùm etiàm piâ indignatione commovebatur, ſi quem ab eis, vel minimùm deflexiſſe animadvertiſſet.

Laboris amans, ſtudio diurno nocturnas vigilias, Superiorum permiſſu, adjungebat; ſi verò ſomnus obreperet, cathedræ innixus aliquantulùm quieſcebat; nèc longiores vigiliæ divinum officium in communi decantendum impediebant; ſingulis diebus ad matutinum mediâ nocte perſolvendum ſurgens, choro primus aderat, ac horarium eccleſiaſtici officii penſum, intentâ adeò mente, ac devotione exſolvebat, ut cæteris attentionem ac devotionem conciliaret.

Salutari ſancti Auguſtini monito obſecutus majorem in ſe

severitatem exercebat, ut à seipso judicatus, à Domino non judicaretur; quapropter iratus sibi, diris flagellis, aliisque sponte susceptis cruciatibus corpus suum atterebat; singulis diebus sabbati vel evangelicis laboribus fatigatus, sedens in terrâ jejunabat pane, & aquâ contentus.

Alti silentii vir, in loquendo adeò consideratus erat, & parcus, ut nullum planè verbum nisi meditato proferret; neque amplificationibus utebatur, sed rei gestæ seriem, ac rationum momenta nullâ adhibita arte exponebat. De seipso, de rebus gestis, de peractis laudabilitèr missionibus nisi necessitas cogeret, aut Dei gloria postularet, nihil unquàm dixit; ab aliorum factis dictisve exquirendis, nisi ad suam rem spectarent omninò abstinebat.

Qui mundo mortuum reputaret se, populum suum, & domum Patris sui adeò oblitus est, ut de his nèc loqueretur, nèc audire desideraret: acceptas à consanguineo litteras, ad Priorem Conventûs occlusas detulit, rogans, ut quod respondendum videretur, rescriberet; at, inquit, debito meo fecerim satis, si pro parentibus, ac consanguineis diligentèr oraverim.

Beatissimæ Mariæ pius cultor ejus laudes, & glorias, quoad vixit, impensè prædicavit, ut in ejus fidem, ac clientelam committerent sese Christi fideles adhortabatur; ipsius sacrum Rosarium nedùm Domi, vel etiàm iter agens, intentâ adeò mente iteratò recitabat, ut ex frequentiori sacrorum Mysteriorum meditatione (qui Rosarii fructus sunt) incalesceret animus, augerentur virtutes, futuram Civitatem ardentius inquireret, Deumque plus amaret, qui prior dilexit nos.

Hìnc ab Antonio maximè dilectus peregrinationum, ac sacrarum Missionum in socium assumptus, cœlesti aspirante gratiâ, multos vel à vitiorum cœno, vel ab errorum tenebris in viam salutis revocavit; eumdem Antonium, quamvis præ humilitate reluctantem compulit, ut quibus à miserante Deo donatus fuisset gratias, quas cautè occultabat, promeret, litterisque mandaret.

Prædicto Antonio è vivis sublato, Petrus suâ in tantum virum reverentiâ, quam servus Dei detulerat Cappam, in proprium usum concedi humilitèr petiit, eâque, quamvis attritâ non gloriabatur modò, verùm etiàm ad invisendos

ægrotos vocatus, extremam ipsius partem, præmissâ brevi oratione, ipsorum capiti fide plenus imponebat.

Cùm autèm hìnc meliùs haberent infirmi, ipseque miraculorum patrator diceretur Antonii humilitatis hæres, magis, quàm vestimenti plurimùm doluit, seseque sollicitè occultavit, utque indebitum, ut quidem putabat, honorem fugeret ad aliam transferri Domum petiit, eoque uti remedio inposterum abstinuit.

Ob miram simplicitatem, niveum animi candorem, angelicam modestiam, àc ardentissimam in proximos charitatem dilectus Deo, & hominibus, diuturnâ, àc molestiori ægritudine exhaustus, susceptis devotissimè Ecclesiæ Sacramentis obiit in Cadenetensi Conventu anno 1680. die undecimâ Januarii.

CAPUT IV.

Joannes Vincentius Bernard à S. Rosario.

NAtus est in Civitate d'Oulx Diœcesis Taurinensis: quo anno, quo die, quibus parentibus, Commentaria non referunt.

In Regio San-Maximinensi Conventu absoluto sacrarum litterarum studio, ac Sacerdotio potitus, ibique Magistri Novitiorum, ac Prioris officio magnâ cum laude pietatis, ac prudentiæ perfunctus, obtentâ à Reverendissimo Joanne Baptistâ de Marinis Generali Magistro facultate, ad Sanctissimi Sacramenti Congregationem transiit, eo consilio, ut Antonio Institutori, ac Joanni Dalmassy adjunctus socius, habendis missionibus totus incumberet.

Ipsum, utpotè magnâ virtute præditum, rectèque tractantem verbum Dei lætus excepit Antonius, ejusque operâ, in Patrisfamilias excolendâ vineâ apud Catholicos, vel etiàm apud hæreticos per aliquot annos, cum ingenti animarum fructu usus est. Joanni Vincentio peculiarem servi Dei conciliabat benevoleniam morum similitudo.

Verumtamen cùm earumdem salutis animarum vehemens studium unius Vindascini Comitatûs finibus arctaretur, factâ

ſibi à Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro ampliſſimâ facultate miſſiones ubi ubi vellet, prævio Ordinariorum aſſenſu, peragendi, totam fermè Galliam peragravit.

Aquiſſextiis, Maſſiliæ, Narbonæ, Biterris, Toloſæ, Nannete, Rhedonibus, Rothomagi, Burdigale, Gratianopoli, Lugduni, ac Pariſiis permulta reliquit zeli Apoſtolici monumenta.

Infracto ab laboribus animo, nullique indulgens quieti, diverſas Regni regiones omni indiſcriminatìm tempeſtate, percurrit, ubiquè concionatur, ſæpiùs verò diverſis in locis uno die; ut primùm advenerit accurrunt populi, è ſacro ſuggeſtu dicentem avidè audiunt, defluunt lacrymæ, gemitus, hæreticorum permulti catholicam fidem ſuſcipiunt, fœneratores à turpi lucro abſtinent, deſides novâ mentis contentione pietatem ſectantur: horum permulti ad ſublimioris vitæ perfectionem pervenere.

Joannis Vincentii ſermo non comptus nimium, nèc verborum conſperſus floribus, ſed ſimplex, non languens, aut remiſſus, ſed vivus, & efficax; eò fructuoſius loquebatur, quod non verbo tantùm verùm etiàm exemplo docere, habitamque orationem religioſis moribus comprobaret.

Unâ manu baculum, alterâ verò ſacri Roſarii ſignum geſtans, ſuiſque humeris manticam deferens, itinera, vèl longiora, pede conficiebat; emendicatis eleemoſinis victitans, ac præſcripta ſui Ordinis jejunia ſervans, â carnibus perpetuò abſtinuit. Eâ præſtabat modeſtiâ, ut animi tranquillitas, ac angelica puritas, vèl in ipſa facie conſpicua apparerent.

Nobilis apud Arvenos fœmina, quæ habitiore ut vultu eſſet, àc corpore, toto anno, vel etiam veneris, ac ſabbati, nècnon ſacræ Quadrageſimæ diebus carnibus veſceretur, cùm Joannem Vincentium his perpetuò abſtinere comperiiſſet, facti pœnitens (ea eſt exempli vis) ſacris Eccleſiæ legibus ad obitum uſquè obtemperavit.

Cadurci Joannem Vincentium hoſpitio excepit vir nobilis. Hic in ſancti Mathiæ Apoſtoli pervigilio, inſtructo lautiori prandio, ac invitatis amicis, advertens virum Apoſlicum cibis ab Eccleſiâ vetitis abſtinere, interrogavit, quæ hujuſce abſtinentiæ eſſet cauſa? Hac ipsâ die, reſpondit

servus Dei, nobilibus æquè, ac ignobilibus præscriptum est ab Ecclesiâ jejunium, vetitusque est carnium usus; has prætergredi leges, Christiano nefas.

Obstupuit, qui convivio præerat nobilis vir, quodque ipsum præmonuisset nemo, vehementèr est conquestus, quæ cum audiisset, qui ipsi erat à confessionibus Præsbyter, quique ad mensam ministraret, pudore suffusus quâ de re, inquit, Pater Joannes Vincentius monuit, ipse præmonuisse debueram.

Eum cum rogasset Illustrissimi Marchionis apud Arvernos uxor, ut in domestico sacello missam celebraret, constantèr renuit, iisquemet verbis eam est allocutus, heu Domina mea! Egonè super Altare sordidis mappis opertum sacrum faciam? Staneo Calice ac immundo corporali utar? Heri (quæ tua humanitas est) ad prandium vocatis me pauperem, ac despectum, ut magni nominis virum excepisti, mundissimo, perelegantique linteo, argenteis vasis, crystallinis cyathis splendebat mensa; siccinè Regem gloriæ Christum, ut novissimum virorum habet Dominatio tua?

Apertâ hac monitione benignè acceptâ Apostolicam Joannis Vincentii libertatem demirata est, de ipsius rectâ intentione certior, ac Sacrosanctum Missæ Sacrificium decentiùs, ac majori apparatu offerri inposterùm curavit. Gratulabantur intereà, tùm seculares, tùm Regulares Sacerdotes in vicinia commorantes, qui ad sacrum in eodem Sacello faciendum sæpius vocati, de re hac conqueri, præposterâ in fæminam reverentiâ, non auderent.

In Tolosanâ regione, sacrâ Missione decurrente, Diaconus nobilissimâ styrpe progenitus fusci coloris vestem, ac collare amiculum, quod nodo adscrictum sub mento, explicatius penderet ad pectus deferens, se Joanni Vincentio cum stitisset, sua ut ipsi peccata confiteretur, repulsam retulit, ipsumque noluit audire, donèc, qui Clericum decet habitu indutus appareret.

Qui nollet intereâ ad propria regredi inconfessus, ac parentum objurgationem vereretur, pervetustum, ac absoletum ab illius Ecclesiæ Parocho cum accepisset commodatò, ipsi peramantèr Joannes Vincentius aurem præbuit confitenti. Res hæc salutarem Diacono pudorem attulit, ipsique tantùm pro-

fuit, ut talari veste inposterum usus sit, electusque celeberrimi Capituli Decanus, virtutum omnium exemplo præfulsisse dicatur.

Tot fructuum potior causa fuit singularis Joannis Vincentii in Beatissimam Mariam Virginem cultus; ipsius sacrum Rosarium ubique prædicabat, quosquot haberet in itinere obvios, ut sacræ huic societati nomen darent adhortabatur, Reverendissimos Præsules, Abbates, Provinciarum Gubernatores, Exercituum Duces, ipsosque milites, per ipsorum castra discurrens audactèr adibat, ut eos ad sacrum hunc precandi ritum alliceret; sin verò quempiam cujuslibet conditionis esset, aut gradus, contempsisset hunc, vir, cæteroqui mitissimus, piâ indignatione commovebatur.

Quod tàm frequentèr de Rosario diceret conquesti sunt nonnulli Bellovacensis Diæcesis (hanc totam lustraverat) Parochi apud Eminentissimum Cardinalem Tussanum *de Janson* Ecclesiæ Bellovacensis Episcopum. Accersitus Joannes Vincentius tanta de Rosarii necessitate, ac excellentiâ disseruit, ut stupenter accusatores obmutuerint, Præsulque sapientissimus Joannem Vincentium fuerit adhortatus, ut consuetum de Rosario dicendi morem retineret.

Quamplures diversis in locis Sanctissimi Rosarii societates erexit, erectas amplificavit, eisque innumeros utriusque sexus Christi fideles adscripsit; nèc verbotenùs, & exemplo, verùm etiam scripto piam hanc orandi methodum promovere satagit. Multos de re hac libellos typis mandari curavit; multas prætereà secum deferebat Beatissimæ Mariæ Virginis chartaceas imagines, quindecim sacri Rosarii mysteria circumquàque referentes, nècnon schedulas, quæ tùm sodalium munia, tùm quæ debeant mysteria meditari, vel etiam quas debeant virtutes profiteri, descriptas exibeant.

Concionem, aut totum Rosarium, aut ex tribus ejusdem partibus una, aut præcedebat, aut sequebatur, eamque, affluente populo, altâ voce recitabat, eâ porrò methodo, ac gratiâ, ut eruditissimus apud Senatum Parisiensem caussarum Patronus, auditâ in Ecclesiâ nostrâ Generalis Novitiatûs ad vicum San-Germanum concione vehementèr admiratus fervidissimus Rosarii cultor postmodùm effectus sit. In toto Galliæ Regno, suppresso lustrico nomine, vel etiàm

gentilitio cognomine, Rosarii Pater ab omnibus palàm dicebatur, quique potentissimæ ejusdem Rosarii Reginæ acceptus esset, multis ab eâ beneficiis donatus est.

Illud in primis memorandum, quod venerabilis Soror Magdalena Ordinis sanctimonialium, quibus à Misericordia nomen est (hujus sanctioris vitæ historia jamdudùm publici juris facta est) in extasim rapta, vidit Beatissimam Mariam Virginem Joannem Vincentium sereno, blandoque vultu filio suo præsentantem, ipsumque Christum eidem peramantèr blandientem; quod audiens humilis vir, peccatis meis, inquit, sanè obruar, æternisque flammis fuerim addictus, nisi miserum me Beatissima Virgo Misericordiæ Mater potenti, quâ apud Deum valet ope protexerit. Vir sanè desideriorum, quidquid posset pietati prodesse, magno semper studio amplexus sacratissimi cordis Domini nostri Jesu Christi specialem cultum, ut R. Pater *la Colombiere* Societatis Jesu Londini primus prædicavit, ità Joannes Vincentius eumdem cultum in toto fermè Galliæ Regno ipse primus invexit. Ejusdem Sanctissimi Cordis Jesu Societatem Zugi, Diæcesis Constantiensis, ac Moguntinæ Provinciæ, in Ecclesiâ Sororum Tertii Ordinis sancti Francisci canonicè institutam, Pontificio diplomate, approbavit Clemens eo nomine undecimus anno 1712. die sextâ Decembris: & verò summa in æternum Patrem, & sanctam Ecclesiam Christi dilectio, immensum in fidelium animis excitare debet amoris incendium.

Plurimas Tertii Ordinis sancti Patris Dominici Congregationes instituit, eo proventu, ut quamplures ejusdem Instituti Sorores, omnium virtutum genere, pœnitentiâ Præsertim, charitate, ac humilitate percelebres è vitâ discesserint. In uno Gallo-Provinciæ Statu triginta hujusmodi Societates erexit: has ut in bono consisterent, identidèm invisebat. Verumtàmen, ut probaretur Joannis Vincentii virtus, tentationibus, eisque gravissimis, Dei permissu, non caruit. In magno populorum plausu veritus est maximè, nè cùm aliis prædicasset ipse reprobus efficeretur. De suâ æternâ salute sollicitus, judicii horrore perterritus desperationis abysso vix absortus non est. Gravior prætereà sibi fuit adversus carnem colluctatio.

Ad has redactus angustias abjectissimè sentit de se, quæ insitam

insitam homini à naturâ superbiam frangant attentè considerat, Deum esse bonorum omnium largitorem, nihilque habere se, quod non acceperit reminiscitur, suam secum miseriam recogitat, & ab humani generis hoste obcænarum rerum specie appetitus, oratione, ac potentissimâ Sacri Rosarii Reginâ protegente, de tetro sathanâ gloriosum reportat triumphum.

Tùnc ad perfectum mœrentis solatium, Antonius à Sanctissimo Sacramento, ab annis viginti vitâ functus, ei conspicuum exibuit se, jussitque, ut bono esset animo, quia, inquit, Beatissima Maria Virgo de tuâ salute in Cœlo est sollicita, quibus dictis evanuit.

His auditis in genua procumbens, ac collocrymatus præ gaudio, ad majores pro Christo, ac proximorum salute subeundos labores inardescens, novamque in Belgio habendam missionem meditatus, ad Illustrissimam Comitissam *De Maux* Atrebati commorantem, bonisque operibus jugitèr intentam litteras dedit, quibus, quæ paranda forent præmonebat.

Intèr hæc ultimum sibi instare diem præsentiens, ad Conventum *de Cadenet* regressus est, ibique, quæ retrò erant planè oblitus, quasi verò hac ipsâ die acquirendæ salutis viam fuisset ingressus, mentis fervore, humilitate, obedientiâ, victûsque asperitate, ad destinatum prosequebatur bravium, adeo ut ipsos Novitios antecelleret, ipsique senioribus esset exemplo.

Anno à suo reditu nondùm expleto, Christi, ac proximorum urgente charitate, ad Oppidum *de Grandbois* Diœcesis Aquensis vocatus, ut, quâ valebat auctoritate, gravissimam litem componeret, stranguriâ per viam malè affectus est. Quaproptèr pedem referens, ad propria reversus, dolores acutissimos, eximiâ mentis tranquillitate, hilarique vultu, mensibus duobus passus est.

Cadenetensis Conventûs Prior Infirmariam quadam die cùm fuisset ingressus, videns ad decumbentis cervical appensum Rosarii signum, quod aliàs semper habebat præ manibus, subridens, ait, ut quid Pater Joannes Vincenti? Siccinè appropinquante ultimo cum hoste conflictu, militiæ cingulum ponis? Nonnè inermem hostis superabit? Heù me! respondit ægrotus, viribus, animoque deficior, Beatissimæ Mariæ


Virginis ſacrum Roſarium quandiù potui recitavi, nunc Chriſto cruciconfixus, quatenùs Roſarii fructus colligam, ipsâ Roſarii Reginâ protegente, Deum adprecor brevi moriturus.

Lectulus ægrotantis factus eſt tunc Cathedra docentis; Prædicatoris adhùc functus officio adſtantibus Novitiis regularem obſervantiam, junioribus Sacerdotibus ſalutis animarum zelum, eo mentis fervore commendabat, ut gravioris ægritudinis non ſentire moleſtiam videretur. Qui adveniſſent Seculares, ut monita ſalutis ab ejus ore perciperent ad vitiorum emendationem, ac divinorum præceptorum cuſtodiam, eâ vi adhortabatur, ut corde compuncti, in uberes lacrymas erumperent.

In gravi hac infirmitate Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum cujus nihil aliud vita fuit, niſi crux, & martyrium, imitari gaudebat.

Morti proximus ultima Chriſtianæ Religionis remedia humilitèr petiit, ad omnes Eccleſiæ preces ipſe reſpondit, ac ad illa verba *Proficiſcere anima Chriſtiana* prædicationis, & vitæ curſum explevit anno 1696. die decimâ octavâ Octobris, à ſuſcepto regulari habitu anno ſexageſimo. Horum duos ſuprà triginta, in habendis ſacris miſſionibus inſumpſerat, verè Dominici filius, ſuæque vocationis memor.

Petierat ſæpiùs à Cadenetenſis Conventûs Priore ſeorsìm ſepeliri, indignum reputans ſe, qui communi fratrum tumulo inferretur: humilis ſanè petitio! fuerit tamèn deneganda; quapropter convenientibus, tùm Cadenetenſis Oppidi, tùm vicinorum locorum civibus, demortui corpus certatìm deoſculantibus, ac veſtes decerpentibus, medium intèr corpora Antonii à Sanctiſſimo Sacramento, & Joannis Dalmaſſy ſepultum fuit, ut qui in vita ſua dilexerant ſe, ità, & in morte non eſſent ſeparati.



CAPUT V.

Josephus Aurivelier *à Sanctissima Trinitate.*

San-Maximini, quæ Gallo-Provinciæ notissima Civitas est, honestâ styrpe progenitus, ac Aquissextiis quadriennio studiorum causâ commoratus, alariæ Gallorum turmæ Præfecto civi suo, insciis parentibus, ad militiam nomen dedit.

In Belgium profectus, ac Gandavi repentinâ contubernalis æquitis morte perterrefactus, compertâ præsentis vitæ fragilitate, ac attentiùs considerato salutis æternæ momento, mundo nuntium remittere constituit.

Nèc mora obtentâ deserendæ militiæ veniâ, ad Patriam reversus, Prædicatorum Ordinem amplectendi, spiritualibus armis pugnaturus, iniit sententiam. Tùm R. san-Maximinensis Conventûs Priori de totâ vitâ ritè confessus, àc sanctissimâ Eucharistiâ refectus, sacræ Rosarii sodalitati nomen dedit, ac Beatissimæ Mariæ Virginis, & sanctæ Mariæ Magdalenæ san-Maximinensis Civitatis, totiusque Gallo-Provinciæ singularis Patronæ, auxilium expoposcit.

Hac adhibitâ præparatione Thorum jam indè à Congregationis initio profectus est, ibique probatâ ipsius mente, ac prævio diligenti examine regulari habitu ab ipsomet Antonio à Sanctissimo Sacramento indutus, ac sub tanto Magistro, exacto tirocinio, magnos habuit ad omnem virtutem progressus, quodque statìm non adessent studiis promovendis Moderatores, ab eodem Antonio Philosophiam, àc Theologiam edoctus est.

Prudentiâ, ac in agendis dexteritate præditus in promovendâ regulari observantiâ piissimum Institutorem plurimùm juvit, cujusque hauserat spiritum, ad obitum usquè retinuit; annis sex suprà quadragintâ, invicto mentis fervore, jugum Domini portavit, duram, & asperam vitæ rationem perseverantèr tenuit. Infirmis viribus vir, de consuetis abstinentiis, jejuniis, vigiliis, aliisque corporis afflictationibus nihil unquàm remisit, nullâque, vèl etate longævus, dispensatione

usus est, adeò ut miraculum planè videretur; ardua namquè res est, continua, ac perseverans in omnibus monasticæ vitæ exercitiis assiduitas; corpus tùm, & anima perpetuâ contentione constringuntur, crucique affixa quodàmmodò retinentur, quod martyrii genus, inquit sanctus Bernardus, eò gravius est, quò diuturnius.

Ad prædicationis munus, nècnon ad habendas sacras missiones assumptus, eâ gratiâ Divinæ legis mysteria, ac christianæ moralis præcepta promebat, ut ab omnibus certatim expeteretur, eumque dicentem insolita commendaret audientium corona. Anno 1682. cùm in Saltuensis Civitatis sacrâ Æde per Quadragesimam perorasset, magna ibi reliquit virtutum exempla, & sacræ eloquentiæ famam.

At verò, cùm non suppeterent vires ab arduo hoc munere recedere coactus, Apostolicum Zelum intrà privatos propriæ Ecclesiæ limites restrinxit, omnemque posuit operam, tùm in fidelium confessionibus audiendis, tùm in Novitiis instituendis, vèl etiàm in novis Domibus extruendis, quæ quidem diversa munia fructuosè admodùm, & laudabilitèr obivit.

In arctâ salutis viâ peritus ductor, ad perfectam Evangelicæ legis normam fideles efformabat; ad eum veniebant, ut per pœnitentiæ Sacramentum animæ maculas detergerent, aut in dubiis consilia peterent; Josephus verò neminem, pauper esset, an dives, nobilis, an plebeius, idiota, an doctus, repellebat à se, omnibus ad eum patebat aditus, ad unum omnes christianâ charitate complectebatur.

Regendis Domibus admotus vir moderatus, & prudens in coarguendis fratrum culpis non occupantis perturbationis impetu abreptus, salubre expectabat rationis consilium. Tempus ritè capiebat: emendationem differebat ad tempus, ut fructuosior fieret emendatio.

A suscepto regulari habitu adduci non potuit, hortantibus consanguineis, ut Patriam adiret; verùm quinquaginta post annis eò duxit pius in sanctam Mariam Magdalenam animus; sacras hujus Reliquias visitaturus; longiorem hanc peregrinationem propè septuagenarius suscepit, pedesque, sæviente hyeme, confecit: hac peractâ, ab frigore obriguerunt ejus crura sic, ut sensu omni eâ in parte destitueretur. Gravi ulcere superveniente, ac exhaustis viribus in

Bedoinensi Conventu, ubi Priorem agebat, susceptis devotissimè Sacramentis, serenâ facie, cœlestique gloriæ intentus placidâ morte quievit in Domino anno 1693. die vigesimâ primâ Decembris.

CAPUT VI.

Hyacinthus Faumont *à S. Joanne.*

PErantiquâ lege in Ordine Prædicatorum comparatum est, ut, si quæ Provincia aptum studiis promovendis Moderatorem non habeat, teneatur Magister Ordinis ipsi de sufficienti lectore providere. Const. Dist. 2. cap. 14.

Sanctissimi Sacramenti recens institutæ Congregationi opus fuit gratia hæc; quapropter R. P. Hyacintus Faumont Reverendissimi Joannis Baptistæ de Marinis Generalis Magistri hortatu, Thorum libenti animo venit, ut quod Tolosæ sponte dimiserat, lectoris officio fungeretur.

Eo Magistro tantùm profecere hujusçe Congregationis juniores sacerdotes, ut, quosquot habuit discipulos, tot ferè magistri effecti sint, nèc postmodùm extranei Doctoris opera desiderata sit.

In amplissimo Tolosano Conventu sanctioribus disciplinis eruditus, non scientiam modò, verùm etiàm quæ Religiosum virum virtutes deceant, Discipulorum animis inserere nitebatur, eò efficacius, quò clariori præiret exemplo.

Pius, àc eruditus Magister, acsi à suscepto regulari habitu, in pauperrimo Thorensi Domicilio fuisset enutritus, asperiori victu delectabatur; quàmvis vèl discipulis edocendis, vèl libris conscribendis totus incumberet, infirmæque esset valetudinis, nullâ tamèn vel spontè oblatâ dispensatione usus, ad omnes horas, choro diù, nóctùque intererat. Ipsi oblectamento sempèr fuerunt jejunium, & abstinentia.

Vultûs gravitate, oculorum verecundiâ ad castitatem intuentium animos excitabat, & quemadmodùm spinæ rosam præcingunt, haud secùs, ejus castitatis decorem sepiebant deliciarum omnium odium & horror.

Alti silentii vir, & ad cœlestes cogitationes mente conver-

ſus, nihil dixit, quod dixiſſe pœniteret; vani ſermonis vitandi causâ Cellæ addictus, aut ſtudio vacabat, aut orationi. Singulari modeſtiâ adeò præſtabat, ut viſibilis Angelus ab omnibus palàm diceretur.

Antonii à Sanctiſſimo Sacramento rogatu, à Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro in Congregationis Vicarium Generalem aſſumptus, hanc annis octo continuatâ ſucceſſione prudentiſſimè rexit. Subjectis ſibi fratribus charitate, manſuetudine, cœleſtiſque converſationis exemplo præluxit. Salutis animarum ſtudium, rigidiſſimæ paupertatis amorem, ſtudiorumque progreſſum mirificè fovit. Qui benè præeſſet, quique in verbo, & doctrinâ laboraret, duplici honore dignus tùm à domeſticis, tùm ab extraneis, quod vixit, habitus eſt.

Philoſophicum opus quarto volumine comprehenſum prælo mandandum paraverat, cum repentino, ac inſperato caſu, oculos perdidit. Tùm probata eſt Hyacinthi virtus, ejuſque maximè enituit animi conſtantia. Tanti boni jacturam patientèr ferens, nullumque internæ pacis detrimentum paſſus, triſtis, aut anxius nunquàm viſus eſt.

Pſalmos, eos maximè qui de pœnitentiâ inſcribuntur, Officium pro mortuis, ſacrumque B. Mariæ Virginis Roſarium, divina contemplando myſteria, privatìm quotidiè perſolvebat. In recolenda amariſſimâ Domini noſtri Jeſu-Chriſti paſſione, ità afficiebatur, ut magnam lacrymarum vim profunderet, ac Crucifixo conformis fieri vehementer optaret. De recuperando viſu nihil ſollicitus, arctiorem victum conſtanti animo retinuit.

Quàmvis autem Vicarii Generalis fungeretur officio, ab edocendis Philoſophiam, ceù Theologiam junioribus fratribus non deſtitit tùm quia, ut prænotavimus, Congregationis exordio lectores deeſſent, tùm quia paucos, eoſque vicinos haberet Conventus viſitandos; nequè eruditiſſimus vir, qui vigeret memoriâ, quique, quæ legiſſet, aut audiviſſet eiſdem planè verbis redderet, viſu indigebat, ut ſcribentibus dictaret.

Anno 1670. die undecimâ Decembris Antonii, ac Medicorum conſilio Avenionem profectus, ut detergeretur oculorum ſuffuſio, morbo colico, ac ſanguinis exſcreatione correptus, conceptâ

ad Deum migrandi ſpe, ſanctitate, ac doctrinâ conſpicuus è vitâ migravit, quodque ad juſtitiam erudierit multos, fulgere nunc quaſi ſtella in perpetuas æternitates piè creditur.

Cæterùm quod Avenione deceſſerit, non caſu, ſed Divinæ providentiæ nutu contigiſſe nonnulli arbitrati ſunt; qui enim Toloſanæ Provinciæ doctrinâ ac regulari Diſciplinâ percelebri, pietate, & eruditione præluxerat junior, eidem debuit moriens exhibere virtutum omnium incrementa.

Se totum Sanctiſſimi Sacramenti Congregationi devoverat, in eâ mori cupiebat. Hac dejectus ſpe, advocatum Thorenſis Domus Priorem enixè rogavit morti proximus, ut è mortuo corpore extractum cor, ad eumdem Thorenſem Conventum deferri curaret inibi ſepeliendum, in perpetuum amoris teſtimonium; verùm reverſus ad ſe, ambitionis notam perhorreſcens poſtulatæ gratiæ pœnituit, tribuitque ſuperbiæ, quod amoris ſenſu petiiſſet.

CAPUT VII.

Joannes Franciſcus Bernard *ab Incarnatione.*

IN Thorenſi Civitate piis parentibus ortus, ab Antonio à Sanctiſſimo Sacramento, ſub cujus curâ, & regimine adoleverat, regulari habitu indutus eſt, expletâque probatione, ſolemnia Novitii cariſſimi vota admiſit anno 1661. die ſecundâ Februarii.

Amantiſſimi Patris ſpiritum aſſecutus, ejuſque diſciplinis eruditus, ab ipſo Religionis tirocinio ad obitum uſquè, pietatis, humilitatis, ac pœnitentiæ clariſſimum ſpecimen exibuit ſeſe, quodque eſuriret, ac ſitiret juſtitiam, graduque pleniore ad cœleſtem patriam contenderet, ex quotidianâ Antonii conſuetudine, ac frequentiori colloquio, uberes fructus retulit; cum ſancto ſanctus, cum perfecto perfectus effectus eſt. Joannem Franciſcum imprimis diligebat Antonius, eique, ut Paulus Timotheo, hoc præceptum commendabat, ut attenderet lectioni, exhortationi, & doctrinæ; hoc enim faciens inquit, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audient.

Ad Magiſtri vocem non aures tantummodò admovebat diſcipulus, ſed animum adhibebat etiam, ac mentem; quapropter ob ſingularem, quâ donatus eſt in concionando gratiam Diaconatu tantummodò potitus prædicationis officio addictus eſt, cumque chriſtianam pietatem non communi, vulgarique inſtituto, ſed fœliciori proventu complecteretur, antè tempus à ſacris Eccleſiæ legibus præſtitutum, quamvis præ humilitate reluctans, Præsbiter eſt ordinatus.

Tùnc Beatiſſimo Patriarchâ Dominico ad imitandum ſibi propoſito, ac prædicandi inito conſilio, nihil impenſiùs à Deo petiit, quàm ut revocandis in viam ſalutis peccatoribus aptior fieret. Montanam Territorii Vivarienſis Regionem diſcurrit, pueris, àc rudibus catechiſandis dat operam, vel etiam, Antonio Magiſtro, ad habendas ſacras miſſiones adjungitur.

Vitæ innocentiâ eximius, quique, eodem Antonio dirigente, adoleſcentiam à lethali peccato immunem duxiſſet, eâ tamen præſtabat humilitate, ut ab omnibus neſciri deſideraret, ſeque ſceleſtiſſimum peccatorem diceret, habereturque. Ex leviori noxâ acriori pœnitentiâ tangebatur, peccata quantùmvis leviſſima acſi fuiſſet immanium criminum reus, profluentibus lacrymis, Sacerdoti confitebatur.

Quod juſſiſſent ſuperiores alacritèr ſtatìmque exequebatur; id namquè unum ſibi præfixat animo, ut grati ſibi eſſent, an non eorum mandatis ſtudioſiſſimè obtemperaret. Ab ipſo eorum regiminis exordio, intimos animi ſenſus, nècnon ſecretiora cordis conſilia ipſis aperiebat, neque alio ad ſacras confeſſiones uſus eſt.

Nedùm abſtinentiam, ac ſtatuta Ordinis jejunia inviolatè ſervabat, verum etiam cujuslibet hebdomadæ, unâ die ſolo pane, & merâ aquâ ad victum parcè utebatur; vigiliis, flagellis, ferreoque cingulo corpus ſuum caſtigabat, ut in ſervitutem redactum menti ſervire cogeretur; quo factum eſt, ut in carne præter carnem vivens, de Dæmone caſtitati potiſſimùm inſidiante, ſempèr triumphaverit.

Decorus facie, & pulcher aſpectu, virgineo pudore conſpicuus defixos in terra oculos ſemper habebat. Juvenculas, vel pietatis ſtudiis ex inſtituto ſervientes ſedulò devitans, à miſcendis cum mulieribus colloquiis abſtinebat. Quæ eum

in

in Confessarium delegissent, eas Antonii exemplum secutus, in anno sæpiùs, ad alio Sacramenti Pœnitentiæ administros remittebat, nè nimia familiaritate, ac frequentiori, vel de divinis collocutione, ipsi arctiùs adhærentes, remedium gratiæ verteretur in occasionem culpæ.

Tantâ curâ, eoque conatu suæ studebat perfectioni Joannes Franciscus, ut nihil eorum omitteret, quæ ipsi afferre possent virtutum incrementa. In quâ, quæ agenda quotidiè, quæque vitanda statuisset essent descripta, Schedam secum deferebat; quæ ad sui emendationem ab Antonio Superiore, aut Magistro audivisset monita salutis, rectaque consilia, piosque motus qui legendo, orando, aut meditando ipsi insedissent animo, litteris commendabat, ut his tanquàm certiori in agendis regula uteretur.

Peculiari ergà Deiparam Virginem affectu nihil sibi jucundiùs, quàm si de ejus laudibus diceret: se suaque omnia illi commiserat, ad eam confugiebat in dubiis, ipsius opem implorabat in angustiis.

Patronos septuaginta intèr Sanctos delegit, quorum nomina in formâ litaniarum digesta, nudato capite genuflexus quotidiè recitabat. Mensibus singulis unam Missam in honorem Sanctæ Mariæ Magdelenæ pro obtinendâ peccatorum remissione, alteram verò in honorem Beati Patriarchæ Dominici pro Congregationis, totiusque Ordinis incremento celebrabat. Si præ Rubricis liceret, Beatæ Barbaræ Virginis, & Martyris memoriam agebat sacrum faciens, ut ejus patrocinio justorum mortem consequeretur.

In Joanne Francisco, tametsi ætate juniori, in agendo, tractandisque hominum ingeniis senilis quædam maturitas præmonstrata est; adeò, ut nullum fermè negotium susceperit, quod ad optatum exitum non perduxerit; exquisito Antonii consilio, occasione benè utebatur, tempus scitè capiebat, cunctando, rem totam quandoque restituit; nè quid decernendo peccaret, ullâ de re ex præjudicatis opinionibus decidebat.

Tantis illum virtutibus, eâ præsertim ætate præditum, nedùm domestici, verùm etiam extranei unicè diligebant; quàproptèr Antonius morti proximus eum in Congregationis Vicarium Generalem, recensitis præclaris dotibus, à Reveren-

dissimo Ordinis Magistro postulavit, nèc iste abnuit.

Plaudentibus fratribus, quippè qui viri meritum optimè scirent, præ maximâ, quâ pollebat modestiâ reluctans, ac profluentibus lacrymis, oblatum munus admisit, sibique diffidens, Deum assiduè precabatur, ut juniorem ætatem in regendâ Congregatione firmaret: Difficilem intereâ regendi artem utroque moderamine itâ temperabat, ut cùm delinquentium reatus audivisset, sciret modò severè corripere, modo humiliter deprecari.

Anno 1677 acceptis litteris, die ultimâ Julii Romæ datis, quibus Reverendissimus Antonius de Monroy Ordinis Magister gratias omnes Congregationi à Prædecessoribus concessas, confirmat, ac renovat, hortaturque, ingentibus adjectis laudibus, nè tùm à viridi observantiâ, tùm à missionibus, ad proximorum salutem peragendis, discedant, sequentem epistolam ad singulos Conventuum Priores misit Joannes Franciscus. Hanc refero, ut quo agebatur spiritu, planiùs innotescat.

Ex Reverendissimi, ac amantissimi Patris nostri Generalis Magistri Epistolâ, cujus exemplum ad vos transmittimus, intelliget quisque vestrum, Fratres carissimi, quantis nos laudibus efferat, tùm ob regularem observantiam, quam, auxiliante Deo, profitemur; tùm ob missiones quibus incessantèr incumbimus. Hortatur vehementèr, ut quod perutile opus cæpimus, constanti animo prosequamur. Paternum affectum, curam, ac tutamen peramantèr pollicetur. Faxit Deus, ut quales habet nos, tales apud Deum inveniamur.

Obsecro itaquè vos, fratres carissimi, corona mea, & gaudium meum per dilectionem Dei, & Domini nostri Jesu-Christi, ut duo hæc Observantia regularis nempè, & salutis animarum zelus, altiùs cordibus vestris insideant, ut, quæ cæpistis animo, opere compleatis.

Heù me! Quantùm dedecus! Quantus animi dolor! Si quis vestrum tantæ desidiæ, tantæque fuerit malitiæ, ut laxitates inducere, de victûs asperitate quidquam remittere, vel à missionum laboribus cessare pertentet? Quot conscientiæ stimulos patiatur, qui sibi vim inferre detrectans, Apostolicæ Religionis spiritum in se, vel in aliis extingui patiatur? Qui sæviente tempestate firmi stetimus, sereno Cœlo, ac tranquillâ pace perfruentes naufragium

patiamur? Cavete itàque vobis, fratres dilectissimi, conetur unusquisque vestrum perfectam legum observantiam, vitamque Apostolicam in peragendis missionibus fovere, ut ab emissâ professione edocti estis. Attendite vobis, & doctrinæ: æmulamini charismata meliora: ab otiosâ, ac molliori vitâ abhorrete: sanctissimi Patriarchæ Dominici, ac amantissimi Patris nostri Antonii virtutum exempla è memoriâ vestrâ non effluant: facite secundùm exemplar, quod vobis monstratum est: Caveamus, nè desidiâ nostrâ degeneres filii illius simus, qui adspirante cœlesti numine, Congregationem nostram ad perfectam, integramque Constitutionum observantiam, & ad continuas habendas missiones instituit. Florebit profectò hæc Congregatio, si vocationis nostræ memores, quæ Deo promisimus accuratè adimpleamus, si ab habendis missionibus non destiterimus.

Audite filii disciplinam Patris: salutares Ordinis nostri leges né derelinquatis, diligite eas, & conservabunt vos: horis statutis ad chorum festinate; Divinum Officium pié, & attenté persolvite: in canendis Dei laudibus delectamini: innocentiam ad Altare apportate: accedat nemo cùm nauseâ, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes: secularium personarum, maximè mulierum consortium, quantùm charitas permiserit, diligentér fugite: Præstitutum loco & tempore silentium servate: Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: Prædicate verbum Dei in omni patientiâ, & doctrinâ. In audiendis fidelium confessionibus estote assidui. Unusquisque vestrum, juxtà talenta sibi á Deo concessa, vineam Domini excolere non desinat. Timete verò, né cùm aliis prædicaveritis, ipsi reprobi efficiamini, quod Deus avertat. Orate pro me. Hæc loquebatur, hæc scribebat Joannes Franciscus, eò efficacius, quod exemplo verba comprobaret.

In die festo Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis, peractâ concione, quam æger incæperat, gravi morbo correptus est; nèc omittendum sanè, quòd præ nimio acutissimæ febris ardore delirium passus, quibus replebatur pios affectus expromebat, integros psalmos, planâ modulatione, decantabat, adstantes fratres de ipsorum defectibus blandè, & appositè arguebat; perindè ac si è sacro suggestu haberet ad populum concionem prædicabat verbum Dei, fratres novis Domibus construendis præponendos designabat, vel eos utique, qui in diversis Vindascini Comitatus, ac Gallo-Provinciæ partibus, insequenti anno, sacras missiones essent ha-

bituri. Delirans, ac morti proximus, quo Vicari Generalis fungebatur officium, adhùc obire quis dixerit.

Cessante delirio, cùm ad se rediisset, Ecclesiæ Sacramentis communitus in Thorensi Conventu anno 1678 die vigesimâ septimâ Augusti, ætatis suæ trigesimo quarto, sui verò regiminis mense vigesimo, præmaturâ morte temporalem vitam finivit Cœlo donandus. Hujus exequias cohonestarunt Thorensis Civitatis viri nobiles.

CAPUT VIII.

Andreas Blachere *à Jesu.*

EOs intèr, qui, extructo Thorensi Domicilio, Ordinis habitum ibi primitùs susceperunt laudandus venit Andreas. In Oppido *de Burzét* Territorii Vivariensis in lucem prodiit, quo anno, quo die, mihi incompertum.

Futuram adolescentis virtutem præsentiens Antonius, venientem lætus excepit. Ob singularem morum innocentiam, ac eximium animi candorem fuit illi semper carissimus.

HyacinthoFaumont Doctore, studiorum emenso curriculo, ipsique imposito prædicationis officio, annunciabat populis testimonium Jesu Christi non in sublimitate sermonis, sed in ostentione spiritus, & virtutis. Nuper institutæ Congregationi multùm profuit, ac pro ejus stabilitate, & incremento laboravit, miræ cæteroqui simplicitatis vir.

Ipsa hæc Andreæ simplicitas sapientium hujus seculi prudentiam superavit, ac prædicto Antonio testante, hæc in eo
1. Cor. 1. Apostoli verba adimpleta sunt *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

A cœlestium contemplatione, & à peracto sacrosancto Missæ Sacrificio tantâ cùm animi, & corporis alacritate proficiscebatur, ut in fortitudine cibi illius biduum persæpè alterius cibi omninò expers duxerit.

Singulari, ac præcipuo ergà Christi passionem agebatur

affectu ; quamobrèm loca Sancta Palestinæ, ejus mysteriis conspicua perlustrandi veniam, enixis precibus obtinuit ; ubi verò ad Calvariæ montem ejusdem Christi accerbissimis pœnis insignem, àc morientis sanguine consecratum accederet, effusus in lacrymas, piaque humo imprimens oscula, interno animi dolore vix confectus non est, ac immensam Christi misericordiam demiratus, immortales ipsi gratias egit.

Peractâ sanctorum locorum peregrinatione Thorum regressus vacuam à fratribus novam Domum audiens vehementèr doluit, magnamque profudit lacrymarum vim : quid ageret tunc, quò se verteret, ipsi in promptu nou fuit. Antonio Romæ, Joanne Dalmassy Anagniæ commorantibus, cæteri omnes, quos Romam secum adduxerat pius Institutor, Castellanæ, quæ superioris Gallo-Provinciæ Civitas est, convenerant, ibique Christi bonus odor effecti, annuente Reverendissimo D. Senecensi Episcopo, ut prædictum est, Confessarii, ac Concionatoris munus obibant magno populorum applausu, ac fructu.

Illùc statìm profectus est Andreas, nullumque ex longissimâ peregrinatione fervoris ac pietatis detrimentum passus, arctiori pœnitentiâ, ac mentis recollectione optimo cæteris fuit exemplo.

Hoc vèl ipso tempore, quæ Romæ, circà confirmandam Congregationem tùm apud Summum Pontificem, tùm apud Reverendissimum Ordinis Magistrum agerentur, supernâ revelatione cognovit, ac illicò fratribus nunciavit.

Castellanâ demigrans Thorum, quò regressum putabat Antonium, advenit die tertia Augusti, serotinis horis. Conventum à fratribus vacuum, ac obseratis foribus cum reperiisset hæsit perculsus, propiusque nihil factum est, quam ùt corruerit ex animis ; verumtamèn novos assumens animos, admotâ muro scalâ, quam ex viciniori villâ propriis humeris detulerat, Domum per fenestram ingressus est, àc pulsato, nocte mediâ, ære campano, incredibili mentis suavitate in Choro solus matutinum persolvit.

Die quartâ Augusti Beatissimo Patriarchæ Dominico sacra, dilucente sole, reseratis Ecclesiæ foribus, Missam insolito populi concursu celebravit, fidelium confessiones audivit, ac de laudibus B. Patris Dominici è sacro suggestu peroravit.

Perraro fervoris exemplo ad matutinum persolvendum, mediâ nocte surgebat, diurnum officium, statutis horis, recitabat, abstinentiam, ac præscripta in sacris Constitutionibus jejunia servabat, diebus Dominicis, àc festivis, habitâ ad populum concione, ex tribus Sanctissimi Rosarii partibus unam, vespertinis horis, adstanti populo exponebat, tèr uno die per mediam horam mentali orationi vacabat, ægrotos invisebat, ac solabatur; adeò ut, non frater unus dumtaxat, sed multiplex fratrum numerus in Thorensi Cœnobio degere videretur.

In ore omnium, atque sermone præclara versabatur Andreæ virtus, ipsius humilitatem, modestiam, victus asperitatem nècnon eximiam in proximos charitatem Thorenses admirabantur, & verò magna Andreæ hæc laus est, quod in Conventu solus, non ad oculum serviret, quasi hominibus placens, sed ut servus Christi faceret voluntatem Dei ex animo.

Ut Dei famulum à piis exercitiis deterrerent, utque abire cogeretur variè tentarunt Dæmones. Concutitur Domus, excitantur strepitus, audiuntur ululatus apparent spectra tùm maximè, cùm sub noctem mediam è Cellulâ egressus, ad Chorum pergeret matutinum persoluturus.

Horruit primùm Andreas, ac totis artubus contremuit; verùm redeunte animo, atque inimici detectâ fraude, à consuetâ agendi ratione, divinâ firmatus ope, non recessit, fervorem auxit, corporis afflictationes duplicavit.

Nèc fuit sinè prœmio virtus. Internis animæ deliciis, mentisque gaudio vana Sathanæ terriculamenta abundè compensavit Deus: novos servo suo adjecit animos, novis Andream donavit gratiis, harum hæc præcipua fuit; quadam die sacrum Rosarium, devotiori mente, magnâque mentis suavitate in propriâ Cellulâ recitanti Beatissima Maria Virgo, & sanctus Hyacinthus visibiles apparuerunt, eumque de prospero confirmandæ Congregationis exitu fecere certiorem.

R. Pater Jacobus *de la Tour* qui, Antonio Romæ remanente, in Galliam remissus, Brianconii constiterat Thorum veniens, maximo Andream affecit gaudio, cumquè in pervigilio Sanctissimæ Pentecostes de optato Antonii reditu col-

loquerentur, viamque quâ eſſet venturus indicarent, eccè adveniens apparuit Pater amantiſſimus. Ipſi lætantes occurrerunt; quot verò fuerint amplexus, quantaque gaudia haud facilè dixerim. De factâ tranquillitate monuit Antonius, Deo unà benedixerunt, ipſique gratias egerunt, ut decet ſanctos.

Andreas intèrim arctiori pœnitentiâ clarus, evangelicâ ſimplicitate amabilis, ac perſeverentiâ eximius prætioſâ morte, ad immarceſſibilem æternæ gloriæ coronam convolaſſe ab omnibus piè creditum eſt.

CAPUT IX.

Vincentius Maria d'Ollon *à Viſitatione.*

CArpentoractum Vindaſcini Comitatus, Pontificiæ Ditionis Caput, Epiſcopi Sedes, venalium commercio Florens, ampla, & copioſa Civitas eſt.

Ibi anno 1644 die quintâ Aprilis ingenuis, piiſque parentibus ortus Vicentius Maria jam indè à puero egregiam indolem præmonſtravit, futuræque ſanctimoniæ non obſcura præbuit argumenta; moroſus, aut inquietus nunquam viſus eſt; ſingularis modeſtia, ſedata, ac ſerena facies cunctis amabilem effecere, voces, quas primum novit proferre, ſanctiſſima nomina fuerunt Jeſus, & Maria.

Audiens grandiuſculus Franciſcum Saleſium Genevenſem Epiſcopum ſanctorum numero fuiſſe adſcriptum, matrem allocutus, ut vocabor, inquit, ſi ſanctus fiam? providebit Dèus, reſpondit pia mulier, de futuro nomine ne cures velim.

Septennis ad litterarum gymnaſium miſſus, nèc puerilium annorum illecebris ſerviens, in beatorum ſortem electus apparuit; præclarâ caſtimoniæ laude conſpicuus, ſi quem inhoneſtè locutum audiviſſet erubeſcebat, collacrymabatur, verbis emendabat, adeò ut viciſſim erubeſceret malè locutus.

Hoc vèl ipſo tempore Prædicatoris fungens officio, factuſque quodammodò pietatis Magiſter, cum vix prima Chriſtianæ Religionis elementa didiciſſet, quæ à diverſis Prædicatoribus audiviſſet, in eminentiori loco ſtans, congregatis pueris voce, geſtuque reddebat, ac ſolutâ oratiunculâ, quid

vobis videtur, aiebat, nonnè Prædicator futurus sum?

Piis exercitiis jam tùm magnoperè delectatus, sacras Ædes, libenter adibat, ac vana refugiebat seculi oblectamenta. Tot inter mundanorum negotia, aut nugas, id unum necessarium reputabat Deo inservire, & æternam salutem adipisci. Ab humani generis hoste obscænarum rerum specie appetitus, oratione, ac jejunio tentatorem fugavit. Mater & soror in Villam progressæ, inter spinas revolventem se, non semèl deprehenderunt.

Ingenuas artes, ac Philosophiam in Carpentoractensi Collegio edoctus, superno adspirante numine, eaque, quæ iis, qui proptèr Christum omnia reliquerint, eumque fuerint secuti promissa sunt præmia attentè considerans, mundo valedicere constituit. Benè optimè, & non ad insipientiam mihi, secum ipse ait, nam mundus transit, & concupiscentia ejus, & temporalia bona relinquere magis expedit, quàm relinqui.

Ipsius Pater, quippèqui Divinæ voluntati obsistere, & carissimum filium nollet contristare, te totum Divino cultui devovere peroptas fili mi, inquit, esto quandò ità placet. At verò ecclesiasticæ militiæ adscriptus, quidni æternam salutem consequaris?

Stetit in proposito Vincentius Maria, ac Cubiculum ingressus, ferventiori præmissâ oratione, rem hanc sorti commisit. Schedulas tres, quæ tria verba hæc Dominicus, Franciscus, Ignatius divisìm scripta continebant in pileum misit eâ mente, eoque consilio, ut cujus partes educta schedula referret, fidenti animo prosequeretur.

Tribus in eodem pileo sæpiùs agitatis, cœcâ manu primam extraxit. Tùm sancti Dominici instituta sectari, cognitâ, ut arbitratus est, Dei voluntate, statutum habuit in animo, ac deliberatum.

Anno itaquè 1660 die vigesimâ Februarii in Thorensi Domo regulari veste indutus, expletoque tirocinio, emissâ professione plurimis cæpit virtutibus coruscare. Diffidens sibi humanæque instabilitatis benè conscius, in Sanctissimi Sacramenti Congregatione perpetuò remanendi privatum votum emisit.

Nèc tardè locus adfuit, quod promissi pœniteret, nisi constaret animo; præ tenui namquè corporis habitudine, continuâ

continuâ fermè ægritudine vexatus moleſtè vixit inpoſterùm ; hemi craniæ erat obnoxius, ſtomacho laborabat, ſibi faſtidium patiebatur.

Verùm quod animus corporis vires longè ſuperaret, nedùm patienti, verùm etiàm lætâ mente gravia hæc mala patiebatur, internum animæ gaudium ipſi oculi, vultus ipſe, ipſa verba referebant.

Parentes intereà de Vincentii Mariæ ſanitate ſolliciti, ut ad laxiorem tranſeat, ſuadent, obtinendam à Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro licentiam, ac emiſſi voti relaxationem pollicentur, ſpondent pecuniam, de benevolo, ut vocant, Receptore aſſeverant. Periculoſa ſanè tentatio !

Nèc inducitur Vincentius Maria, ut audiat ; temporalem vitam contemnit, ut æternam tutiùs conſequatur ; forti, firmoque animo cæptam vitæ rationem retinere velle reſpondet, quamvis intrà tres dies, certò ſciret ſe eſſe moriturum.

Quod ingraveſcente morbo, nèc dormire ipſi eſſet, nèc ſtudere, ſeriiſque vacare nequiret, Poëticem apprimè edoctus, Cantica ſpiritualia gallico ſermone ſcribebat, ſanctorumque laudes carmine celebrabat. Extant Anagrammata, cuilibet adjuncto Epigrammate, certiora ingenii ſui monumenta. Ea refert Archangelus Gabriel in Vincentii Mariæ vitæ compendio. Hæc brevitatis gratiâ prætereo. Tom. 2. pag. 395.

Adhortante Deo memor erat, quod mors non tardat ; quapropter in ultimam exitûs ſui horam noctes, dieſque mentis aciem intendebat : ægrotantis Ezechiæ Regis exemplo, manè uſquè ad veſperam, veſperè verò uſquè ad manè ſperabat.

Salutaris hæc cogitatio, nedùm ſervum Dei retrahebat à peccato, verùm etiam ad omne opus bonum impellebat, labores pariebat, & pias exercitationes ; quodquè cum Sancto Ambroſio noverit ſolam virtutem comitem eſſe defunctorum, antè mortem parabat juſtitiam ſibi.

Diſciplinæ regularis obſervantiſſimus, nullâ, Prælatis ægrè ferentibus, uti voluit diſpenſatione, à victu aſperiori non receſſit ; conſueta ſervabat Ordinis jejunia. Chorum diù, noctùque ſectabatur. Fortiori animo, inſolitoque mentis fervore, jejunabat identidem pane, & aquâ contentus. Oblata vix adhibebat ſolatia, nequè eis utebatur, niſi præceſſiſſet ſuperioris imperium. Omnia vel ipſam vitam facilè contemnebat, quia ſe cogitabat moriturum.

A judiciis Dei ſemper timuit Vincentius Maria; cum Sancto Job verebatur omnia opera ſua ſciens, quod Deus non parcat delinquenti. Sivè comederet, ſivè biberet, ſivè aliquid aliud faceret, ſemper videbatur tuba illa terribilis, ſuis auribus inſonare, *Surgite mortui venite ad judicium.* Enaſcentia quotidiè inferioris appetitûs mala deſideria adeò reſecabat continua hæc extremi judicii meditatio, ut graves intèr Laſcivientis carnis illecebras, prætioſum cuſtodierit virginitatis Lilium, improbam mali Demonis tentationem perſeveranter ablegaverit à ſe, victorque diſceſſerit è certamine.

Antonius à Sanctiſſimo Sacramento, cui intimus Vincentii Mariæ animus erat apertus *Quot certamina*, inquit, *quot coronæ! quot præmia! meâ quidem ſententiâ ob ſervatam in tantis periculis caſtitatem, miraculis clareſcet Vincentius.*

Singulari Dei providentiâ, nè miraculo dixerim, aliquantulam ſanitatem adeptus, inſitis dotibus ad majorem Dei gloriam, ac proximorum ſalutem benè uti aggreſſus eſt. Divini verbi præconio addictus, nihil ſpectavit, aliud niſi, ut peccatores ad rectum ſalutis iter perduceret; prædicantem libentèr audiebant viri doctiores, ac pii, & quidem concinnè dicebat, lectiſſimiſque ſententiis abundabat oratio.

Tantâ modeſtiâ, eàque præſtabat animi recollectione, ut terreſtris Angelus, ac cœleſtis homo ab omnibus diceretur.

Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum imitatus, vitam perdidit, nè perderet obedientiam; anno ſiquidem 1673, Januario deſinente, in Oppido *de Sahune* Provinciæ Delphinatus, ac Diœceſis Siſtaricenſis per adventantem Quadrageſimam habendis ad populum concionibus deſtinatus, tenuis valetudinis excuſationem modeſtè attulit, àt iterato monitu, bonoque eſſe animo juſſus, nihil deliberandum ultrà cenſuit.

Quaproptèr ad prædictum locum, præfixo tempore, progreſſus eâ corporis, & animi contentione Divini verbi præconem agere, pueris prima Chriſtianæ fidei præcepta tradere, fidelium confeſſiones audire cæpit, ut, ipſo ſacræ Quadrageſimæ medio, eum vires omninò defecerint.

Tùm ad Thorenſe domicilium deportatus, eximia præbuit invictæ patientiæ argumenta; quodque exhauſtis viribus, ſacrum Miſſæ Sacrificium exſequi non poſſet, infirmario innixus, ad Eccleſiam veniens, Sacroſancto Chriſti Domini

corpore quotidiè reficiebatur, illudque ſumebat pro Viatico, nè, morte præventus, tanto auxilio privaretur.

Proh ſecretiora Dei in filios hominum conſilia ! qui ſervatâ innocentiâ vitam ſanctè peregerat, Dei judicium perhorreſcit; quaſi tumentes ſuper ſe fluctus timet Deum pondus ejus non ſuſtinens. De Divinâ miſericordiâ vix non deſperat penè moriturus.

Gravitèr intereà affliĉtantur fratres, qui decumbentis lectum circumſtant, monent, hortantur, Dei miſericordiam extollunt, Beatiſſimæ Mariæ Virginis opem implorant, Deo nuncupant vota.

Exaudiuntur multorum preces, benè illicò fit, nubilum omne difugit, reddit ſerenum; mæſtus decumbentis vultus in hilarem commutatur, angoribus ſuccedit pax, timori fiducia. Sacram Domini Jeſu è Cruce pendentis imaginem manu perſtringens, eamque peramantèr deoſculatus placidiſſimè obdormivit in Domino anno 1673 die decimâ tertiâ Aprilis.

Defunctum Vincentium Mariam nonnullis claruiſſe miraculis, quemadmodùm Antonius prædixerat, perhibetur.

Maria *Rabaſſe* puella, pridiè confracto brachio, dùm demortui corpus luſtrali aquâ aſpergit, derepentè ſanatur. Hac de re, nè è memoria efflueret, ritu juridico inquiſitum eſt, nèc difficultèr, hujus quippè miraculi tot fuere teſtes, quot in Eccleſiâ adeſſent viri, ac mulieres.

Franciſca *Metau* continuâ febri à menſe altero vexata, implorata Vincentii Mariæ ope, integræ ſanitati reſtituta eſt.

Pontia *Bonaud* altero oculo amiſſo, ejuſdem precibus commendavit ſe, & viſum recuperavit.

In Vapincenſi Civitate, Monialis Urſulina hydropiſi, ſanguinis exſcreatione, & aſthmate curata eſt, chartaceâ Sanctiſſimi Nominis Jeſu imagine, quæ Vincentio Mariæ fuerat uſui, ipſi applicatâ.

Carpentoracti Margarita d'*André* nobilis fæmina, defuncti Vincentii Mariæ Mater pulmonis inflammatione brevi moritura, eodem remedio convaluit.

In hac eadem Civitate Alexander *Valete* decennis, epiphorâ, continuâ tuſſi, nècnon heticâ febri gravatus, exſanguis adeò, & exſuccus, ut quamdam animati cadaveris ſpeciem repræſentaret, multiplici morbo revelatus eſt, concepto à

parentibus voto famuli Dei ſepulchrum viſitandi ; eò mirabilior fuit ſanatio , quò promptior. Hanc curati filii Pater Franciſcus *Valete* mediceæ artis laude præclarus , ſcripto teſtatus eſt : alia multa circumferuntur miracula. Hæc taceo , nè compendii fines prætergrediar.

CAPUT X.

Jacobus de la Valdenne *à S. Chatarinâ.*

IN eâ Vindaſcini Comitatus , Pontificiæ Ditionis copiosâ Civitate , quæ Bollena dicitur , nobiliſſimis parentibus anno 1666 die undecimâ Martii natus eſt.

Ipſius Pater Joannes Franciſcus *de la Valdenne* ampliſſimâ Comitum *du Puy* , *de Rochefort* ſtyrpe progenitus , in matrimonium ductâ Joannâ *de Benedicty* clariſſimi generis fœmina , duas ex eâ ſuſcepit filias , filium unum ; Jacobus hic eſt , cujus vitæ ſanctioris hiſtoriam ſtrictìm litteris mandare ſuſcipimus.

Paternæ Domi piè , ſanctèque educatus , morum lenitatem , innatam modeſtiam , propenſiſſimam omnibus benefaciendi voluntatem , & ad optima quæque comparatam indolem præmonſtravit.

Adoleſcentiam ingreſſus animum relaxare , coævorum conſuetudine plurimùm uti , cætus frequentare , conviviis intereſſe non reſpuit ; quæ recta , & honeſta ipſa per ſe lætitiam faciunt , amicorum inductu , aliquandiù ſecutus eſt.

Facti pœnitens , immoderatam hæc vitæ ſuæ rationem , hæc morum perverſitatem , gravem hæc in populum offenſionem appellavit poſtmodùm , ſollicitæ religionis adoleſcens.

Indolis ad magna compoſitæ , nèc à majorum ſuorum animi fortitudine degener , militare primùm animo conſtituit , ad rem bellicam ſuaptè proclivis : intereà Gratianopolim miſſus , ibi litterarum ſtudio operam dedit , eo profectu , ut ingenio , ac doctrinâ æquales anteiret.

Vix non peracto Philoſophiæ curriculo , animi anxietatibus , Deo permitente , torquetur , quamcumque oblectationem internus dolor extenuat , nullâ fruitur jucunditate ; Di-

vino afflatu ad perfectiora vocatus aliud, atque aliud volutat animo consilium; tùnc hoc, tùnc illud illi probatur.

Nèc perpetuò fluctuat. Superno illustrante lumine, cognitâ blandientis seculi vanitate, ac amittendæ salutis æternæ periculo, in alium virum derepentè mutatus est: Christum, qui cum esset dives proptèr nos pauper factus est, sequi, ejusque crucem in regulari statu ferre constituit.

Verùm cui Religiosorum virorum cætui nomen det ignorans, ipsi anxio, ut supernæ claritatis radius affulgeat, ferventiores Deo fundit preces, proborum hominum, qui confirment in bono, consuetudine tantummodò utitur, sacras Ædes, desertaque loca frequentèr adeundo mirificè delectatur, Anesium sacras Sancti Francisci Salesii reliquias visitaturus semèl, atque iterùm proficiscitur. Ut viam in quâ ambulet edoceatur, ac obtinendæ gratiæ impedimenta ut removeat, de totâ vitâ ritè confessus, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento frequentiùs reficitur.

Nèc Patrem latuere diù carissimi filii consilia; quaproptèr veritus maximé, né, se inscio, religiosam vitam Gratianopoli ineat, indè in Patriam eum incunctantèr revocat, hucque suas omnes confert vires, nihil non molitur, ut à proposito decedens filius unicus, ad bellica studia animum referat, gentisque suæ nomen perpetuet.

Intereà, cùm eximiâ Jacobus sit, & animi, & corporis indole, ad acuendam adolescentis industriam nevè quid desit filio ad animi culturam, hoc vel ipso tempore ad Parisiensem Academiam eum mittere Joannes Franciscus *de la Valdenne* constituit. Eam ob rem splendidus paratur instructus, Ductor eligitur, commendatitiæ litteræ conscribuntur, itineris ratio omnis præscribitur; at verò Deus scit cogitationes hominum, quoniàm vanæ sunt.

In Tricastinâ Civitate (hæc unâ leucâ Bollenâ distat) novum Domicilium extruxat Antonius à Sanctissimo Sacramento; illùc fortuitò cùm adiisset Jacobus novi Dominicarum cætus mutuam charitatem, asperiorem victum, extremam paupertatem, mentis, sensuumque recollectionem vehementèr est admiratus. Eo duxerat Spiritus Sancti gratia, illìc Omnipotenti Deo ad obitum usquè servire constituit. Bollenam reversus subticet, quod mente conceperat, Patrem variâ spe lactat, in morbum incidit.

Verumtàmen, quod ſibi nihil longius ſit, quàm ſuſcepti conſilii executio, nondùm confirmatâ valetudine, paternâ Domo clanculùm egreſſus, & ad Thorenſem Conventum profectus Prædicatorum Ordini adſcribi enixè petiit. Ad vovendam paupertatem comparatus, quamcumque penès ſe haberet pecuniam, pauperibus eundo diſtribuit.

Intereà Joannes Franciſcus de unico filio magnoperè ſollicitus gravi dolore afficitur, quod ſe non ſalutato, abierit amarè conqueritur, parentes vicinos, alienigenas interrogat, qui eum diligenter perquirant, ſervos quaquàversùs mittit.

Altero poſteàquam è paternâ domo receſſiſſet die nondùm elapſo, certum hominem miſit Jacobus, qui amantiſſimum Patrem de ſuo præſenti ſtatu moneat, datiſque litteris humilitèr rogat, ut ſuum probet conſilium, ſuamque admittat excuſationem. Epiſtolam gallicè conſcriptam latinè ſubjicio.

Elapſus ſum, inquit, *filiali pietate repugnante; timui verò, nè paterna benevolentia properantem filium retardaret, nevè Patrem pluſquàm Chriſtum ſi dilexero, hujus diſcipulus non ſim; non diù cogitatum nihil facio; arduum quidem opus ſuſcipio; victus in primis aſper viget in hac Thorenſi Domo, nèc meo robore fido, uni Deo credo me, àc committo; Patere quæsò me hîc vivere, hîc mori: Tuus eſſe non deſinam, imò tuus eò magis futurus ſum, quo Chriſto vocanti obtemperantior; exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit; momentaneum, & leve tribulationis noſtræ immenſum, ut ſpero, æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis: hæc me multùm confirmat cogitatio. Dolorem tuum minuas velim; me amaſti, amare perge, mihique filio tuo benedictionem impertire.*

Manantibus lacrymis hanc legit epiſtolam Joannes Franciſcus, ac inſperato nuncio perculſus, nullâ, ut ad ſe rediit; interpoſitâ morâ, Thorum profectus eſt.

Prætèrquàmquod filium unicum, ad familiæ ſplendorem, in ſeculo retinendum perdere nolit, aſperioris victûs, ac veſtitus ferendo oneri parem non judicat; quapropter, ut à ſuſcepto conſilio deterreat, paternâ, quâ valet auctoritate, impensè utitur. *Vide*, inquit, *quid agas fili mi, niſi te moneam imprudentèr egero, veniet profectò tempus, veniet, cùm te facti pœniteat; temporis interceſſu, tepeſcit animi fervor, voluntas plerumque non præſtolatur ſalubre rationis conſilium.* Blanditur, pronunciat præmia, dignitates pollicetur, ſuſpirat, illacryma-

tur, ut in sententiam suam filium trahat omni studio con-
tendit.

At verò fortiore animo Jacobus, in propulsandâ oppugna-
tione perdurat, nec promissis flectitur, nec lacrymis frangi-
tur, nèc objectâ honorum, ac divitiarum specie emollitur;
sic respondet, ut constantiam admiratus Pater Divinæ obtem-
peret voluntati, filiique consilium suo probet assensu. Jaco-
bus votorum summam assecutus, incredibili mentis suavitate
affectus est, ac regulari habitu actutùm vestiri humilitèr
postulàvit.

Secularem vestem dimittens, induit novum hominem, eum,
qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus, qui
creavit illum; sicut modò genitus infans solidæ pietatis lac
cæpit concupiscere, ut in Christo cresceret in salutem.

Ut maturè probetur Jacobi virtus, ipso religionis tiroci-
nio ineunte, cum invisibili humanæ salutis hoste acritèr pug-
nat, mundi gloriam, honores, divitias, oblectamenta ipsius
menti objicit malus Demon, eâ vi, ut vix non deficiat vi-
ribus, gravissimâque tentatione non obruatur.

Quid agat mœrens? se totum Magistro Novitiorum pa-
tefacit, ad orationem recurrit, Mariam cogitat, Mariam
invocat, ipsâ tenente non corruit; ipsâ protegente non metuit;
gravi hac tentatione expeditus placidâ postmodùm pace po-
titus est.

Quò magis elucescat Novitii constantia, accedit res hæc.
Abundans, ac noxius humor malè afficit oculos, eosque nè
perdat verentur Medici; quapropter, ut paternos lares repe-
tat, nèc regularem professionem emittat omninò arbitrantur.

Hæc audiens Jacobus gemit, illacrymatur, vix præ mœ-
rore non moritur: Deo interim benedicit, bono est animo,
adeòque facti non pœnitet, quìn potiùs adverso casu, ani-
mum obfirmet in proposito.

Verebatur quidem, nè adversâ valetudine, à Conventu
abire cogeretur; verumtàmen à Thorensis Domus Religiosis
viris, qui malint potiùs carissimum Novitium ægrotum, vel
etiam cæcum retinere, quàm ad propria remittere, unâ
omnium sententiâ, expletâ probatione, admissus est.

Anno itaquè 1685 die quintâ Maii novemdecim annos
natus solemnia vota, eo mentis fervore Deo nuncupavit,

ut vultus ejus ſeraphico ardore inflammari viſus ſit. Unici filii ſacrificio Joannes Franciſcus *de la Valdenne*, profluentibus lacrymis, interfuit, eique, qui aderant Thorenſis Civitatis viri nobiliores gratulati ſunt: bonorum hæredem, inquiunt, morientem vidiſti, vidiſti etiàm Sancti nativitatem; & verò ſanctitatis inſignia Jacobi facies præferebat.

Votiva profeſſio quæ nonnullis de diſciplinæ regularis ſeveritate multùm remittendi occaſio eſt, luculentiſſimum Jacobo fuit ad ampliorem progreſſum incitamentum; acquirendæ perfectioni eâ mentis contentione operam dabat, ut quæque virtus illa videretur, quam ſtatuiſſet obtinendam. Orationi inprimis deditus, antè Diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum diù, noctùque, aut genuflexus oraſſet, aut cuilibet Sacro interfuiſſet, ſi præ ſtudio, aut perdiſcendâ lectione liceret. Deo erat ità mente conjunctus & ab erranti oculorum motu alienus, ut Sanctum Bernardum imitatus Sacræ Ædis, Conventûſque formam neſciret; varios pſalmorum verſiculos per ſomnum, clarâ voce, decantabat.

Emiſsâ profeſſione Philoſophiæ ſtudio applicatus, ut moris eſt, præclariſſima diligentiæ, manſuetudinis, ac modeſtiæ condiſcipulis præbuit exempla; eo pollebat ingenio, ut magnam ſui moveret expectationem.

Pro caſtitate ſervandâ nuncium mundo remiſerat; ob hanc maximè cauſam, dimiſsâ paternâ hereditate, regularem ſtatum amplexus eſt; eaproptèr vel minimam impudicitiæ labem, imò ipſam impudicitiæ umbram perhorreſcens, omni cuſtodiâ ſervabat cor ſuum; in viſûs cuſtodiâ vigil, ac difixis in terram oculis nullam à ſuſcepto regulari habitu, de facie fœminam novit. Thorum adductam à Patre ſororem natu minimam, vix induci potuit, ut cum eâ ad januam Conventûs paucis colloqueretur.

Præſidentium nutus omnes diligentèr obſervans, illud ſpectabat; quid vellent. Quod toti Communitati fuiſſet præceptum, tanquàm ſibi ſoli commendatum, religioſâ anxietate, exſequebatur: arduum nihil, nihil abjectum reputabat quod Superiores præcepiſſent, glorioſum. exiſtimabat obedire.

Paupertatem adeò coluit, ut nemò magis. Ab emiſsâ profeſſione ſolâ videbatur penuriâ gloriari, & egeſtate gaudere. Cella, habitus, ſuppellex, quæcumque ſibi eſſent uſui,

amicam

amicam paupertatem redolebant. Obsoletam vestem, quà-
que nulla deterior sit, libentèr induisset. Superflua subtra-
hens sibi, à necessariis plerùmque abstinuit. Suis non serviens
commodis, nihil à prædivite Patre, nihil à consanguineis,
ab amicis nihil haud unquàm petiit.

Corporeæ constitutionis ingenita imbecillitas, diligentem
curationem, cibumque delicatiorem postulabat. His non
nisi ægrè utebatur, timebat nàmque, nè sibi plus nimio
indulgeret. Ab veste pulverem dùm excuteret infirmarius,
at pulvere obduci decet, inquit, in pulverem convertendum.

Eò crevit paupertatis amor, ut sui planè oblitus, nèc
remedia postulet, nèc cujusvis operam requirat: vultu hilari
suum intrà se dolorem premit, nè sibi solatia adhibeantur;
adeò, ut, nisi infirmarius diligentèr adverterit, brevi sit mo-
riturus.

Mundi planè oblitus, nihil de parentum, ac consangui-
neorum, nihil de Domûs suæ præsenti statu perquirebat,
nihil interrogabat, nihil percunctabatur. Nobilis vir sibi affi-
nitate conjunctus eum officiosè cùm adiisset, ut Patris no-
mine salutaret, suæque familiæ statum exponeret vehemen-
tèr est admiratus; statìm namquè sermonem aliò transtulit
Jacobus, ac de mundi hujus vanitate tàm aptè disseruit, ut
hospes ad propria melior regressus sit.

Virtutum omnium custos, ac decor humilitas Jacobum
adeò sui juris effecerat, ut quàmvis in eo fulgeret nata-
lium splendor, ac prærogativa virtutum, hæc tamèn præci-
puum dominium assecuta videbatur; Urbanitatis apprimè
sciens, sermonis, morumque elegantiâ præstans, rusticita-
tem affectabat, ut ignobilis haberetur; cultus, ac ornatus
experte utebatur sermone; Generis nobilitatem, majorum
præclarè gesta, Dignitates, eisque demandata negotia altis-
simo premebat silentio; quidquid sui despicientiam afferret
amplexus, ab omnibus desiderabat nesciri, nequè appetebat
honorari in scholâ humilitatis.

Pœnitentiam cum S. Joanne Chrysostomo misericordiæ
matrem vocabat; quapropter corpus suum voluntariis cru-
ciatibus atterat, jejunet quotidiè pane, & aquâ contentus,
acri flagello cædat se, nèc cilicium dimittat, nèc ferreum
cingulum, nisi currenti moram fecerint Superiores; horum

quædam piâ importunitate petenti, ac in expiſcandis rationibus ſolertiſſimo, quandoquè, perrarò tamèn, præ ſui corporis imbecillitate, conceſſere.

Appoſitis dapibus veſcebatur nullo, quod ſuavitatem augeret addito condimento. Delicatiori fruſtulo, ut in Sanctiſſimi Sacramenti Congregatione moris eſt, in honorem pueri Jeſu quotidiè abſtinebat. Eſcam delicatiorem aut primoribus labiis tantummodò deguſtabat, aut deglutiebat infectam, nè, ſcilicèt, guſtationis jucunditatem ſentiret.

Ut abſtergeretur glaucoma, pulverem exedendi vi præditum, oculis, Medicorum conſilio, inſuflabat infirmarius. Acriori hoc, ſæpè uno die utebatur remedio, nequè ſibi, ut ſanitatem afferret, quìn potiùs, ut obedientiam præſtaret, àc patiendi occaſionem nanciſceretur.

Attenuaverant adeò Jacobum inediæ, aſperrimique cruciatus, ut Sceleti ſpeciem referret, ac, invaleſcente morbo, dè ipſius próximâ morte timeretur; ille verò patientiæ ſervantiſſimus, ægritudinis moleſtias voluntatis ſuæ cùm divinâ conſenſione, futuræque beatitudinis ſpe ſolabatur.

Intereà patris rogatu Bollenam natale ſolum, inſtaurandæ ſanitatis ergò deductus, ut ſe à fratribus ſuis ſejunctum vidit, tantum dolorem paſſus eſt, ut ægritudo non minuatur, quìn potiùs augeatur, quodque niſi apud fratres ſuos libentèr quieſceret, Converſi duo, quì ipſi inſerviebant, piâ decumbentis importunitate devicti, ad Tricaſtinum Conventum, utpotè viciniorem, tranſtulerunt.

Ibi hecticâ febri correptus, inconcuſſam retinuit animi firmitatem; nèc lectum adiit, nèc à ſeverâ vitæ ratione receſſit; tantâ in perferendis doloribus afficiebatur ſuavitate, ut, ſi quem venientem advertiſſet, cantaret, ut, quæ patiebatur mala leviora crederentur, ejuſque vicem minùs dolerent.

Sanationem non attulit diligentiſſima curatio, nèc eum præſentia juvere remedia. Morbo confectus, cœleſtium bonorum æſtuans deſiderio, ſuſceptiſque devotiſſimè Sacramentis obiit die duodecimâ Martii anno 1687. Jacobi vitæ compendium, eodem quo mortuus eſt anno, à pio Tertii Ordinis noſtri Sacerdote gallicè conſcriptum, Avenione publici juris factum eſt.

CAPUT XI.

Andreas Olivier *à sanctâ Agnete.*

IN Oppido *du Broc* Diœcesis Venciensis, in ipsis Gallo-Provinciæ finibus, ad Varum fluvium posito, parentibus pietate, & christianâ fide conspicuis natus est anno 1639.

Adolescens humaniores litteras edoctus, ac pubertatis annos vix ingressus, in Thorensi Conventu ab ipsomet Antonio à Sanctissimo Sacramento regulari habitu indutus est, quodque definitum emittendis solemnibus votis tempus nondùm attingeret, biennali functus tirocinio, jugum Domini portavit ab adolescentiâ suâ.

Vir fuit rectus, ac timens Deum, & recedens à malo; veritatis cultor eximius à mendacio semper abhorruit; nihil in eo insidiosum, nihil fallax; simplici, ac nudo sermone utebatur; intèr agendum aberat ab omni simulatione & fuco.

Institutoris mentem assecutus, ipsius mores mirâ similitudine effingens, ac regularis Disciplinæ tenax, ipsam tueri, ac propagare vigilantèr studuit; duram, & asperam vitæ rationem tenuit, quoad vixit.

Christianæ simplicitati, doctrinam junxit singularem: Hiacintho Faumont Magistro Philosophiam, ac Theologiam edoctus, nùnc istam, nùnc illam annis novemdecim, nullâ usus dispensatione, & à nullo tàm diurno, quàm nocturno communi exercitio vacans, magnâ cùm laude pietatis, & doctrinæ professus est.

Intricatiores utriusque scientiæ difficultates, Doctore Angelico facem præferente, apertissimè explicabat, ac proposita dubia solvebat, mirâ ingenii perspicuitate.

Pietate, ac eruditione insignis Alexander Piny Ordinis Prædicatorum, Philosophici operis Author notissimus viatorium navigium Lugduni cum conscendisset Avenionem, Rhodani fluento, profecturus, casu contigit, ut Andream ibi reperiret; hic staturâ pusillus, quique scientis hominis speciem non referret, expleto in primâ salutatione urbanitatis officio, in prædicti navigii angulo, demisso capite, manu unâ corol-

lam precatoriam, alterâ verò baculum tenens continebat se tacitus.

Ad eum intereà propiùs accessit Alexander, sermonem intulit, de diversis primùm collocutus est, utque viri scientiam exploraret, de Philosophicis sensìm iniit disputationem.

Dicentem audivit Andreas, ad interrogata respondit, explicationem auscultavit, discipulum planè quis dixerit, non magistrum. De multis vicissim sciscitatus est, questiones ordinatè proposuit, pressit argumenta, adeò ut Alexander, vir cæteroqui præacutus ingenio, ad incitas vix redactus non sit; hìnc intellexit haùd esse tutum, cum ignoto hoste congredi, debeatque nemo, Christo monente, secundùm faciem judicare.

Singularem Andreæ modestiam, ac eruditionem admiratus Alexander, ipsius laudes Avenione apud nostrates prosecutus est, ipsi amicior nemo vixit inposterùm, àc per litteras sæpissimè sunt collocuti.

Ad concionatòris munus quod attinet, unum quamvis à Domino talentum acceperit Andreas, non timuit, non abiit, illudque in terrâ non abscondit. Nonnullis missionibus interfuit. Ad prædicandum verbum Dei, tùm domesticis, tùm extraneis præstò fuit sempèr: non concinna admodùm erat oratio, sed solida, non jejunus sermo, aut exilis, sed optimis firmatus rationibus; Theologicam tamèn prælectionem magìs, quàm de moralibus orationem dixeris.

Dominus noster Jesus-Christus, inquiebat, vocatis servis suis, pro sua cuique voluntate bona distribuit; uni dedit quinque talenta, alii duo, alii verò unum; ab eo qui quinque, quinque; ab eo qui duo, duo; ab eo qui unum talentum acceperit, unum reposcet, nèc mediocris culpæ reus est, qui ad Prædicàtorum Ordinem vocatus verbum Dei prædicare, ex neglectu contemnit.

Qui columbæ simplicitatem maximè coleret, serpentis prudentiâ non caruit; quàpropter à Reverendissimo Antonino Cloche Generali Magistro, in pernoscendâ, æstimandâque virtute solertissimo, Congregationis Vicarius Generalis institutus, nihil habuit antiquius, quàm, ut in studiis diligentiam, in habendis missionibus perpetuum studium, Regulæ, ac sacrarum Constitutionum observantiam intactam custodiret.

Eâ auctus dignitate, quam sempèr coluerat humilitatem impensè servavit, arctiori pœnitentiæ studuit, nihilque de consuetâ agendi ratione remisit. Silentium, recollectionis, ac innocentiæ custodem vocabat. Quo promptius ad matutinum mediâ nocte persolvendum fratres surgerent, ut statuto tempore cubitum irent, nevè dato signo vigilias imprudentèr protraherent, diligentèr attendebat; experientiâ namquè compererat plures hìnc valetudinem, ac vires perdidisse.

Mentali orationi vehementèr addictus, eos quibus esset a confessionibus, ut perutili huic exercitio operam darent hortabatur in salutis viâ ductor peritissimus: dominicis diebus, decantatis vesperis, antè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, positis genibus, ac nudato capite, altâ voce meditabatur, ut Novitii, ac juniores fratres meditari perdiscerent, atquè adstantes seculares ad meditandum alliceret. Codicem, suaptè Andreæ manu conscriptum penès me habeo: ibi mentalis orationis utilitatem amplificat, ibi regulas, ac formam fructuosè meditandi disertè tradit in triplici statu vitæ, ut ascetici vocant, purgativæ, illuminativæ, & unitivæ. Ut in primo statu diutiùs immorentur, qui christianam perfectionem assequi desiderant, nevè præcipiti, ac illusoriâ prurigine, ad altiorem præproperè contendant; prudentèr admonet.

In confirmandis, qui non constarent animo Novitiis mirificè excelluit. Juniorem ac inutilem servum me, decurrente tirocinio, ægrotantem, ac hecticâ febri brevi moriturum, ut Medici omninò arbitrabantur, nisi à regulari statu, ac asperiori vivendi ratione recesserim, afflictum erexit, & ad emittendam professionem impulit, accendit, animavit. Plurimùm ei me debere profiteor, quodque perseveraverim, ipsi, secundum Deum, acceptum refero.

Tametsi senex eggregiè vegetus, ac vividus erat Andreas; in eo emicabat vigor animi, & virium; at verò amplam Theologiam prælo parantem mors insperata subripuit, nimiâ, ut creditum est, in scribendo mentis contentione; continua febris sanctioris vitæ finem posuit, & ad beatam æternitatem patefecit viam in Thorensi Domo anno 1702 die vigesimâ-nonâ Martii.

CAPUT XII.

Alexius de Guaſt *à Sancto Spiritu.*

IN Thorenſi Civitate nobiliſſimâ ſtyrpe progenitus, avitæ gentis claritati, non levis ſanctimoniæ decus adjunxit; intèr Equites ſancti Joannis Hyeroſolimitani, dùm adhùc in cunis vagiret infans, admiſſus, dein verò grandiuſculus à Patruo, ejuſdem Ordinis Commendatore, Melitam vocatus, ut militaris Inſtituti tirocinium poneret, navali, ut aſſolet, contrà Turcas expeditione ſuſceptâ, magnam ſibi gloriam comparavit, ipſiuſque animus enituit. Mirabantur omnes in Alexio adoleſcente animi fortitudinem, quâ ingruentia pericula, ſerenâ fronte intueretur.

Servum Dei Antonium cùm adiiſſet pia Alexii Mater (ipſum habebat conſcientiæ ſuæ judicem) obſecro te, inquit, nùm ex filiis meis quiſpiam Congregationi tuæ nomen dabit? Hoc ardentius concupiſco, gratiam hanc quotidianâ prece efflagito.

Bono animo eſto, nèc precem dimittas, reſpondit ſervus Dei, votis tuis fiet ſatis, quod concupiſcis, conſequeris; Carolus (hoc nomine vocabatur qui poſteà, cùm regulari habitu indueretur Alexius dictus eſt) militari Ordine derrelicto, Dominicanus fiet.

Nihil tùm veroſimile habebat mutatio hæc; quàproptèr ſupernâ hac revelatione cognoviſſe ſapientiores ipſi crediderunt.

Nihil propiùs quadam die factum eſt, quàm ut ad paternæ Domus januam ex caſu interiret Carolus infantulus; illàc fortuitò tranſiens Antonius, miſericordiâ motus propiùs acceſſit, lapſum puerum erexit, ejuſdemque regularem in Sanctiſſimi Sacramenti Congregatione ſtatum ſocio ſuo ad aurem prædixit.

In ipſo emittendæ profeſſionis articulo Melitâ, ætatis ſuæ anno vigeſimo-quarto Thorum regreſſus, ac in alium virum derepentè mutatus, ſeculum cæpit faſtidire, àc de æternâ ſalute ſeriò cogitare. Non morantur ejuſdem ſeculi blandi-

menta, non adulatorio frangitur amicorum sermone, nèc retrahunt à suscepto consilio ampliores, quas juremeritò sperare poterat, dignitates; contrà Ecclesiæ hostes, spirituali gladio pugnaturus, regularem Sancti Dominici habitum ab eodem Antonio humilitèr petiit.

Optimæ indolis, ac ingenio ad præclara quæque aptissimo adolescentem, exploratâ per menses tres ipsius mente, Congregationi suæ aggregare summoperè gavisus est servus Dei, eumque pro cœlitùs dato munere habuit. Quod sibi optata contigerint lætata est pia Mater, cæteri verò parentes obstitere, nèc defuerunt mali Demonis tentationes, quæ à suscepto consilio Carolum deterrerent; ipse verò oratione, ac frequentiori cum Antonio collocutione, superatis impedimentis, suscepto regulari habitu, ac peracto mirabili fervore Religionis tirocinio, terrenis omnibus posthabitis, solemnia vota emisit in Thorensi Conventu, anno 1660 die decimâ-octavâ Augusti.

Ex quâ die placuit ei, qui segregavit eum ex utero matris suæ, & vocavit per gratiam suam, continuò non acquievit carni, & sanguini; angustam portam, arctamque viam, quæ ad vitam ducit firmiori animo ingressus est; delicatiori cibo à puero enutritus, asperrimo victu, perpetuoque fermè jejunio delectabatur, ut, scilicet, hæreditatem justorum, quam diffidebat per vitam rapere, raperet per pœnitentiam: nullâ, vel æger, dispensatione usus est.

Extremam, quæ in Thorensi Domo vigebat paupertatem divitias dictitabat. Arctiorem levissimâ supellectili instructam Cellulam, Regum Palatiis, & opibus anteponebat. Monente Gregorio Magno, considerabat vitæ terminum, & ipsi in hac vitâ non erat, quod amaret.

Illius utiquè, qui ad debellandas aëreas potestates, ac profligandam Demonis superbiam, humilis intèr homines apparere dignatus est inhærens vestigiis, humilitatem impensè coluit. Gentis suæ claritatem planè oblitus, nullam ex eâ gloriam hausit, nèc à vilioribus quidem Conversorum officiis abhoruit. Clarum illum, nobilem illum cum sancto Joanne Chrysostomo reputabat qui dedignatur servire vitiis, & ab eis non superari contendit.

Quod non suppeterent vires, ac pro tenui corporis habi-

tudine, peragendis missionibus esset impar, assiduas ad Deum preces, & voluntarios corporis cruciatus pro peccatorum conversione offerebat, tantòque plus Alexii dolor capiebat incrementi, quantò magis ad hominum flagitia animo sese, & cogitatione converteret.

Beneficus, ac christianâ ergà proximos charitate insignis, pauperum vicem, ac miserorum ærumnas miseratus, quamcumque eis posset opem ferre, collectis, vèl etiàm à piâ matre spontè datis eleemosinis, omni curâ, ac studio satagebat.

Prudentiâ, magnoque regularis observantiæ zelo pollenti, non semel commissum est Prioris officium; dolebat tùnc, nèc enìm muneri huic parem existimabat se; ad regimen coactus semper venit; parere cæteris, libertatem vocabat.

Magna apud omnes erat Alexii expectatio, eumque, defuncto Antonio, præcipuum fore Congregationis fulcimentum una erat omnium vox. Conciderunt fratrum suorum omnes spes, huicque expectationi successerunt dolores. Dùm omnibus Pastoris optimi officiis in Conventu Bedoïnensi, jugi sollicitudine fungeretur, in gravem morbum incidit, susceptisque de more Sacramentis piè mortuus est, qui piè vixerat.

CAPUT XIII.

Humbertus Courén *à Præsentatione.*

IN Oppido d'*Aubignan* Vindascini Comitatûs, Arausicanæ Diæcesis, parentibus christianâ pietate conspicuis, ac Ordini sancti Patris Dominici perantiquo benevolentiæ nexu addictis anno 1642, die undecimâ Junii in lucem prodiit.

Regularem statum in S^{mi}. Sacramenti Congregatione professus, mansuetudine potissimùm, modestiâ, ac humilitate præfulgere visus est.

Præacuti ingenii adolescens studiis addictus, quæ Magister doceret, nullo fermè negotio assequebatur, ac propositam questionem subtiliori disputatione prosecutus, magno erat condiscipulis ad studium incitamento. In Antonii scholâ edoctus, quodque non alta verba, sed virtuosa vita sanctum, &

Deo charum efficiat, ut in aureo de Imitatione Christi libello sæpissimè legerat, pietatem à studio non separabat, ac omnia vanitatem reputabat prætèr amare Deum, & illi soli servire.

Tametsi difficillimis peragendis missionibus vires non sup-
peterent, hàud tamèn vacavit ab opere, aut in obeundo præ-
dicationis officio, segnem se præbuit, Instituti sui memor.
Corporis imbecillitatem mentis fervore superans, annis qua-
draginta in privatâ Thorensis Conventus sacrâ Æde sancto-
rum glorias frequenti laude commemorans, eorum pro-
ponebat sequenda vestigia. Rhetoricis artibus perpolitus, mul-
tisque naturæ præsidiis ad dicendum paratus, cohærentèr lo-
quebatur, ac oratione valebat tàm in primis aptâ, & appo-
sitâ ad persuadendum, ùt quam in partem vellet, flecteret
animos, audaces deprimeret, desides excitaret, solaretur
afflictos. Orator fuit parùm vehemens, dulcis tamèn.

Beatissimæ Mariæ Virginis laudes, quoad vixit, oratione celebravit, ejusque cultum promovere summoperè studuit. Sanctissimi Rosarii Societati in prædicto Thorensi Conventu jàm pridèm erectæ, innumeros utriusque sexus Chisti-fideles aggregavit; hìnc eamdem Mariam Virginem in angustiis, in periculis, in rebus dubiis propitiam sæpenumerò expertus est.

Ex incenso, quo in Deum ferebatur amore, eggregia in
proximos charitas redundabat; fluxâ quamvis esset corporis
habitudine, ut prædictum est, ingenti labore, ac incom-
modo audiendis confessionibus totus incumbens, aliud spec-
tabat nihil, nisi, ut errantes ad rectum salutis iter omni
ratione perduceret; nèc plebei modò, verùm etiam viri nobi-
liores, qui pietatem sectari, Deoque inservire sincerâ mente
percuperent, Avenione, Insulâ, Cavallione, aliisque è Civita-
tibus Thorum veniebant, ut, aut concilia peterent in dubíis,
aut in salutis viâ Humberto uterentur duce; ipse verò, qui-
bus pollebat morum elegantiâ, ingeniíque suavitate, omni
petenti se tribuens, humanissimè omnes excipiebat. Si conten-
tiones intercessissent, pacem conciliabat, dirimebat controver-
sias, lites compescebat; mærentibus solatio, egentibus erat
præsidio; ignaros erudire, dejectis animos addere, torpentes
ad pristinum fervorem revocare. Diù, noctùque cum inviseret
infirmos, in extremâ vitæ luctâ versantibus aderat, nimium

timorem leniens, fiduciam, cœleſtique Patriæ deſiderium adſpirabat, piiſque precationibus fœlicem tranſitum adprecabatur.

Mira fuit Humberti temperantia: cibo tàm parcè utebatur, ut jejunium perpetuò ſervare videretur; neceſſitati non gulæ ſerviebat; cupedias omnes reſpuens, vulgari alimento, vèl infirmus, libentèr utebatur.

Caſtitatem ità coluit, ut ad pudicitiæ ſtudium ſe intuentes alliceret, nihil niſi pudicum lingua loquebatur, geſtus referebant, actiones repræſentabant, oculi ipſi, ipſaque facies demonſtrabant.

In eo fuit comitate condita gravitas, omniſque ipſius ſermo erat ſale conditus. Ipſum vidi, ipſius conſuetudine ſum uſus; quæ vidi, & audivi ingenuè refero.

Regulari diſciplinâ, ac ſingulari prudentiâ præditus quantumvis eſſet, totam in Clauſtro vitam duxit, cujuslibet dignitatis exors; id namquè, ab emiſsâ profeſſione, à Deo poſtulare conſueverat, ut regularis ſtatus humilitatem poſſet ad mortem uſquè retinere.

Anno 1710 tempore Jubilei, dùm à primo diluculo aurem præberet confitentibus, latherali morbo derepentè correptus, è ſacro Tribunali ad propriam cellulam deportatus, ſanctiſſimum Nomen Jeſu, intermortuis vocibus repetens, die primâ Aprilis vitâ functus eſt.

CAPUT XIV.

Archangelus Gabriel *ab Annunciatione.*

SEnili gaudio geſtiens, alacrique exultantis animi impetu de Archangelo, Antonii individuo in habendis miſſionibus ſocio, ejuſque virtutum imitatore fideliſſimo, ſcribam. Quinquageſimo ſexto abhinc anno regularem habitum de manibus ejus ſuſcepi, ipſe expleto tirocinio ſolemnia Deo, à me nuncupata vota admiſit, eum proindè ut alterum Patrem habui, ipſique plurimùm me debere profiteor.

In Civitate *de Sault* ſuperioris Gallo-Provinciæ, ac Diæceſis Carpentoractenſis, Joanne *Gabriel*, & Eliſabethâ *Jurdan*

ingenuis parentibus ortus est, anno à Virginis partu 1644 die quintâ Aprilis.

Piè in Patriâ educatus, ac Carpentoracti liberalibus disciplinis eruditus, ad ardua protendere visus est; egregiæ, ac præclaræ indolis adolescens, spretis seculi oblectationibus animum suum dedit ad virtutem, & sapientiam. Intèr scholasticas exercitationes oratoriè dicendo, eximio instructus Judicio visus est, futuramque ejus eloquentiam auditores præsagiebant.

Qui Baptismi gratiam consecuturus Joannis nomen obtinuit, suscepto ab ipsomet Antonio regulari habitu, Archangelus ab Annunciatione apellatus est; Gabriel namquè, quod lustricum nomen putavit noster Echard, gentilitium ipsius cognomen est.

Anno 1665 die vigesimâ-primâ Junii, emissâ professione, ac absoluto sacrarum litterarum studio vocationis suæ memor, ac Prædicatorum Patriarchæ verè filius, verbi Dei præconio totis viribus cæpit operam dare, nihil impensius efflagitans, quàm ut revocandis in viam salutis peccatoribus idoneus efficeretur.

Diaconatu tantummodò potitus, in amplioris Oppido *de la Tour d'Aygues* Diœcesis Aquensis per sacram Quadragesimam, magnâ auditorum admiratione habuit ad populum conciones, quod quidem Apostolicum munus, annis quinque suprà quinquaginta, incredibili zelo, maximoque populorum fructu obivit, moribus, & scientiâ probatus, ac in Patris-familias excolendâ vineâ indefessus operarius.

Jac. Echard Tom. pag 739.

Sepositis prophanarum scientiarum institutionibus, scripturæ Sacræ, ejusque Interpretum lectioni se totum dedit; Apostoli Pauli epistolas penè ex integro memoriæ commendavit; ingentia Sanctorum Patrum volumina, ex quibus singularem sibi eruditionem comparavit, evolvit; tantâ rerum moralium copiâ instructus, ut de re quâlibet in promptu dicere præstò esset.

Hoc sæpius, tùm maximè anno 1701 die Michaeli Archangelo sacrâ in Saltuensi Conventu contigit. Qui decantatis vesperis debuerat, ut in Sanctissimi Sacramenti Congregatione mos est, concionem habere, in ipso suggestus ascensu deliquium passus, ad propriam Cellulam manuductus est; Archangelus verò ejusdem Domus Prior, qui nollet congre-

gatum populum jejunum dimittere, assumptis pro sermonis argumento hiscemet verbis *Pugnavit Michael*, *& fecit victoriam* eâ vi peroravit, ut omnes sint admirati, admiratus sum ipse qui aderam.

Concionatoris innata eloquentia, lectissimis utriusque Testamenti, ac veterum Patrum sententiis, optimisque rationibus firmata oratio, gestus congruens, animarum salutis ardens studium, totius corporis habitus, ipsaque facies arctioris pœnitentiæ formam referens, raucioris vocis vitium abundè compensabant; aurium satietatem, si quibusdam contigisset, dicendi copiâ vincebat.

Quoniam hujus rei mentio incidit, referam, quæ in Civitate *du Bourg saint Andeol* ad Rhodanum anno 1704 feriâ quartâ cinerum contigere. Vix ex suggestu sermonis textum protulerat, cum nobilis vir ob Concionatoris raucitatem exasperatus, ab Ecclesiâ, utrâque manu obturatis auribus, fastidiosè digressus est. Postridie verò urgentibus, nè cogentibus dixerim, amicis, ad Ecclesiam reversus, tantâ admiratione commotus est, ut eum nedùm quotidie dicentem magnâ animi voluptate audierit, verùm etiàm à Reverendissimo Vivariensi Episcopo, ut insequenti anno in eadem Civitate per sacram Quadragesimam verba faceret enixè petierit. Gratiam hanc præsul, de viri meritò benè conscius, petenti libentissimè tribuit.

Epist. 72. *Pulcherrimus ordo est, & saluberrimus*, inquit S. Bernardus, *ut onus quod portandum imponis tu portes prior, & ex te discas qualitèr oporteat aliis moderari.* Salutarem hanc doctrinam edoctus Archangelus, sequendum Christum prædicabat, ipse prior sequebatur; portandam crucem denunciabat, ipse prior portabat, arctam viam intrare compellebat, intrabat ipse prior, quæ verbis prædicasset, moribus comprobabat. Tonabat voce, fulgurabat exemplo: quo factum est, ut auditores prædicatoris vitam considerantes, ex prædicatione non levem fructum reportarent.

Vir Dei Antonius ad Genevensem regionem cum proficisceretur Apostolicum munus obiturus, Archangelum delegit præ cæteris, eumque itineris, ac laborum sibi comitem ascivit; hic verò tanti Ducis exemplo roboratus, duros longioris itineris labores, temporum injurias, hæreticorum convi-

cia, quæque extremam paupertatem ſequantur incommoda, hilari animo perferebat: eorumdem laborum particeps in partem veniſſe præmiorum; in eodem ſtadio currens, eumdem æternæ fœlicitatis terminum attigiſſe credendus eſt. Eumdem Antonium plurimùm juvit conſilio, oratione, ſermone, colloquio.

Sanctiſſimi Sacramenti Monialibus à Reverendiſſimo Maſſilienſi Epiſcopo præpoſitus, ſingulari prudentiâ, ac ſollicitudine annis fermè quadraginta curam hanc ſuſtinuit. Maïo ineunte, peractis miſſionibus, Maſſiliam profectus, eas ad omnem virtutem inſignitèr informabat. Videns gratiam Dei gaudebat, eaſque hortabatur in propoſito cordis permanere in Domino; ibi ſervandæ, vel etiam augendæ pietati mirificè profuit, præclarum ibi Inſtitutoris opus, tùm privatis colloquiis, tùm publicâ adhortatione obfirmavit.

Ad propria reverſus, datis litteris, de retinendâ regulari diſciplinâ Moniales identidèm commonebat; à quo vitio præret indicabat, in æternæ ſalutis viâ ductor peritiſſimus. Plurimæ extant in Maſſilienſi Monaſterio Archangeli litteræ religioſeque aſſervantur ſæpeſæpius legendæ.

cavere, quamque virtutem potiſſimùm ſectari quæque debe-

Nè eximius, quo ferebatur, tepeſceret animi fervor, omni abjectâ temporalium rerum ſollicitudine, exercitiis ſpiritualibus quot annis imprætermiſsè vacabat, idque à ſubjectis ſibi fratribus Præsbiteris, lectoribus, ſtudentibus, ac converſis neceſſariò requirebat.

Ut breviarium, ac precatoriam coronam, ſic de imitatione Chriſti libellum, nedùm domi, verùm etiam iter agens ſecum deferebat, lectitabat, ex eo meditationum argumenta, pioſque animi ſenſus, qui actiones, vitamque univerſam ad virtutis normam dirigerent, premebat.

Nemo Antonii ſpiritum, aut plenius hauſit, aut firmius retinuit; regularem obſervantiam junior excepit, ſenex fulſit, ſuſtinuit verbo, exemplo.

Conventibus præfectus, ac regendis fratribus admotus eos ad religioſæ vitæ ſtudium omni ſollicitudine efformabat. Quotidiè, perſolutis matutinis, habitâ brevi concione, ut ad Patrem Abraham, ſanctiſſimum nempè Patriarcham Dominicum attenderent, ejuſque veſtigiis inhærent, ſacrarum

litterarum ſtudio, ac Evangelicæ prædicationi impensè operam darent, ſilentium ſervarent, à vaniloquiis abhorrerent, ſecularium perſonarum, maximè verò mulierum conſortium fugerent, ſervandæ caſtitati advigilarent, paupertate, ciboque viliori delectarentur, hortabatur, *Magna promiſimus*, aiebat cum ſancto Bernardo, *ſed majora promiſſa ſunt nobis.*

Sanctitatis, àc prudentiæ laude conſpicuus, ejuſque virtutum famâ longius manante, tèr, ſervatis interſtiis, in Generalem Congregationis Vicarium à Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro inſtitutus, cæteris exemplo præluxit, eoque agente, eadem Congregatio ad Generale Capitulum Romæ anno 1694 celebratum vocatus accepta fuit, & confirmata. A Venerandis ejuſdem Capituli Patribus, ob virtutum inſignia, magno in honore eſt habitus, ipſeque Reverendiſſimus Antonius Cloche Generalis Magiſter Archangelum plurimi fecit, datiſque litteris toti Congregationi de tanto viro gratulatus eſt.

Quod altero crure infirmo, pedes iter agere nequiret, nèc tamèn à ſimplici agendi ratione receſſit, ab omni faſtu alienus, ac evangelicæ paupertatis amicus; uno aſino erat contentus, & nè toto quidèm, partìm enìm ſarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant.

Mira fuit Archangeli in conſuetudine feſtivitas; ſeverus, & aſper faciem primùm intuenti, idem quibus eum conveniſſent comis erat, ac benignus; ſibi durus cæteris bonus, ac miſericors; vigiliis, ac jejuniis vires atterens, nè alii plus nimio, aut vigilarent, aut jejunarent diligentèr attendebat, odio habebat ſe, cæteros paternâ charitate complectebatur. Quæ ſcribo ipſe ſum expertus.

Antonii vitæ hiſtoriam, Reverendiſſimo Joanne Thoma de Roccaberty Ordinis Magiſtro præcipiente, gallico idiomate, ac fuſiori narratione conſcriptam, ac duobus Tomis comprehenſam publici juris fecit Avenione anno 1682. Ut verum fatear, ſuperfluis abundabat hiſtoria hæc, nèc multis affluit gallicæ linguæ ornamentis; Author tamèn quantumvis junior in doctrinâ Patrum, qui de moralibus ſcripſerunt apprimè exercitatum probat ſe. Quod fuit ab initio, quod audivit, quod vidit occulis ſuis, quod perſpexit, & ſuæ manus contrectaverunt, & teſtatur, & annunciat nobis. Hiſtoria hæc ne-

dùm in singulis Congregationis Conventibus, verùm etiam in multis diversorum Ordinum Cœnobiis, tùm publicè, tùm privatìm fructuosè legitur.

Archangelus instituti sui legum observantissimus, nèc decurrente missionum tempore, præscripta Ordinis jejunia solvebat; cùm verò Domi degeret, quantùmvis ætate provectus, dentibusque decisis, solum panem, potumque parciorem ad refectiunculam adhibebat; nisi ægrotaret, carnibus nunquàm usus est.

Quoniam monente Gregorio Magno, prædicans Jesum, & hunc crucifixum debet ejus passionem imitari, ferreâ catenâ lumbos præcinctus, diris in sua terga flagellis quatèr per hebdomadam, feriis nempè secunda quarta sexta, ac sabbato adeò sæviebat, ut vestes copioso sanguine respergerentur; audiebam ego, meque ingenti quodam perfusum horrore sentiebam. Sup. 1. Reg.

Præcipuâ, ut Dominicanum decet, in Beatissimam Mariam Virginem pietate Archangelus excelluit; ipsius laudes, quòad vixit, ferventiori studio prædicavit; ejus sacrum Rosarium, quovis impediretur negotio, adjunctis piis meditationibus privatim, ac genuflexus quotidiè recitabat, nèc provectâ vèl nocte, cubitum ibat, inexpleto filialis hujusce devotionis officio.

Mentis integritatem, corporisque pudicitiam sic adamavit, ut ad tantum thesaurum conservandum nedùm, ut prænotavimus, asperam vitæ rationem, à suscepto regulari habitu indesinentèr tenuerit, verùm etiam sensuum custodiæ perpetuò advigilaverit. Fœminarum consortium fugiebat, in nullam figebat oculum, nullam sine teste alloquebatur; quamdam saltuensis Civitatis Domum ingressus (ipsi socius aderam) objectâ insperatò inhonestâ effigie illicò clausit oculos, totisque artubus contremuit septuagenario major.

Arctiori pœnitentiâ, àc laboribus evangelicis exhaustus, devotissimè susceptis Ecclesiæ Sacramentis, ipsa hæc verba repetens *Misericordias Domini in æternum cantabo* in Cadenetensi Conventu sanctissimè obiit anno 1724 die vigesimâ primâ Januarii, repositam in Cœlis coronam percepturus. Frequentissimo populo, qui partìm cupiditate videndi, partìm ex pietatis sensu confluxat, in eodem, quo vir Dei Antonius

tumulo sepultus est. Optaverat enim senex optimus, ut quorum una semper mens fuerat eorum quoque corpora, nèc sepultura separaret.

CAPUT XV.

Modestus Alziary *ab Angelis.*

QUi Baptismi gratiam consecuturus Jacobi nomen obtinuit, suscepto regulari habitu, Modestus ab Angelis ab ipsomet Antonio Congregationis Institutore dictus est.

In Oppido *de Toudon* Comitatus Niceænsis, Diæcesis Glandevensis, Antonio *Alziary*, & Francisca *Revèl*, honestis piisque parentibus anno 1649 die decima-septimâ Januarii natus est.

Gratia ætatem præveniente, à teneris annis viam justitiæ ingressus, Deum deligere cæpit, pietatem coluit, eggregiam indolem præmonstravit. Decennis à R. Domino Joanne *Juge* sacerdote, ejusdemque Todonensis Ecclesiæ Vicario, primis litterarum rudimentis imbutus, ac grammaticam edoctus est.

Bonum esse viro cum portaverit jugum ab adolescentiâ suâ quod optimè sciret, vix annum agens ætatis suæ decimum quartum, mundum fastidiens, dimisso seculari patrimonio Prædicatorum Ordini, in Thorensi Domicilio nomen dedit, ibìque in sectandis sancti Patris Dominici vestigiis adeò incubuit, ut ab ipso Antonio tamquàm observantiæ regularis exemplum, cæteris Novitiis proponeretur. Nihil Modesto longius erat, quàm regularis professio; verùm, quod præfinitum à sacro Tridentino Concilio emittendis solemnibus votis tempus nondùm attingeret, biennali functus est tirocinio; emissâ verò professione, susceptæ vitæ rationes adeò est exsecutus, ut mentis fervore, legumque observantiâ æquales longè anteiret; abjectâ primi hominis vetustate de die in diem renovari satagebat, quæque largâ manu à Domino susceperat dona, omni studio ampliare nitebatur.

Prælaudato Hyacintho *Faumont* Magistro, Philosophicis, ac Theologicis disciplinis eruditus, eas, magno discipulorum

fructu, per annos aliquot professus est; verùm, cùm non doctrinæ minùs, quàm prudentiæ laudem sibi comparasset, Congregationis Conventibus regendis, administrandisque admotus, regularem observantiam quà verbo, quà exemplo mirificè fovit.

Modestum nemo in procurandis solertiâ, in regendo prudentiâ, in præcavendo sagacitate superaverit: ex re, & tempore consilium capiebat; in eo mirabantur omnes in arduis animi constantiam, in dictis fidem, in factis rectitudinem, in pertractandis negotiis, & sinè festinatione diligentiam, & sine tarditate gravitatem.

Quod cuique opus esset odoratus, accuratè providebat; non cupiditatibus ipse, sed ipsi cupiditates obediebant; ancillæ erant, quæ parerent, dominæ non erant, quibus obtemperaret. Ad iram suaptè proclivis secum ipse pugnabat, erumpentes animi motus (quod magnæ profectò virtutis est) adeò premebat, ut innata sibi, non labore acquisita mansuetudo videretur.

Nequè eo quisquam intervalla negotiorum fructuosiùs insumebat, sempèrque, aut studio vacabat, aut orationi, vel charitatis serviebat officiis; ad susceptam verbi Dei prædicationem, manuum operam adjungens, Conversorum munia, successivis horis, identidèm, humilitatis gratiâ, exsequi non dedignabatur. Hortum olitorium, primo diluculo, cæteris fratribus quiescentibus, adaquantem, non semèl ipse vidi.

Mira Modesti fuit in cibo, ac potu temperantia; vino parcè admodùm utebatur; allium verò, piper, cæteraque gulæ, vèl etiàm libidinis incitamenta semper abhorruit castitatis cultor. Quod in hujus seculi agone contenderet ab omnibus abstinebat se, sìc currebat non quasi in incertum, sìc pugnabat non quasi aërem verberans. Cingulo ferreo densis aculeis rigente, jejuniis, vigiliis, ac flagellis castigans corpus suum in servitutem redigebat. Modesti occursus ipse juvabat, & erat aliquid, quod ex ipso, vel tacente, proficeres.

Quod cuilibet obeundo muneri parem ostenderet se, in sollicitudinum partem vocare, ac in rebus dubiis, & arduis ejus operâ, & consiliis uti, plures consueverunt Reveren-

dissimi Præsules; ipse verò, qui præsentandi ad beneficia jus nacti sint, ut immeritis digniores anteponerent, ut regendis Ecclesiis boni Pastores præficerentur diligentèr attendebat. Dissidentes mirâ dexteritate componens, sedabat animos, æquâ utrinquè gratiâ, lites dirimebat. Speciali Reverendissimi D. Francisci *de Galtery* Vasionensium Episcopi mandato, mulierculam, simulatâ pietate, rudiori populo mentientem cùm convenisset, detectâ fraude patefecit, & accurrentes ex vicinis Oppidis populos errore liberavit; genuinas namquè virtutes à fictis, vera à falsis miracula dijudicare, eximiâ quâ pollebat judicii vi, ac spiritualium exercitatione, optimè noverat.

Reverendissimus D. Gaspard *de Vintimille du Luc* Aquensium Archiepiscopus de Modesti merito certior, cujusque operam desideraret, ut expleto, quo in Cadenetensi Conventu fungebatur Prioris officium per novum subsequens triennium retineret, à Reverendissimo Ordinis Magistro datis litteris petiit, nèc iste abnuit.

Quæ cùm minimè laterent Reverendissimum Antonium Cloche Generalem Ordinis Magistrum Congregationis Vicarium Generalem Modestum tèr instituit. Hac auctus dignitate, abjecto seculari fastu, ac priscâ vivendi ratione nihil immutatâ, humilitatem, quam sempèr coluerat, constantèr retinuit. Grandis jàm natu vir baculo innixus pedes iter agebat, uno dumtaxat Sacerdote, vel etiam Converso, qui manticulam deferret, in socium assumpto. Ab epistolis, ministro nunquam usus, acceptis litteris, quod profectò ingentis operæ, ac laboris opus est, manu propriâ rescribebat.

Eâ Congregationem prudentiâ regebat, ut plus mirari quis posset, aut disciplinæ regularis studium, aut Charitatis obsequium, in promptu non esset. Conventum visitaturus cùm advenisset, Ecclesiam primùm ingressus, antè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, positis genibus, Dei, Beatissimæ Mariæ Virginis, ac sancti Patris Dominici implorato auxilio venientesque fratres ad unum omnes peramantèr amplexus, bonorum operum exemplum præbebat se; solitis cibariis contentus, lautiorem cibum respuebat, ut potè qui à singulari agendi ratione abhorreret.

Nè tepesceret fervor, nevè facilitas veniæ incentivum tri-

bueret delinquendi, culpas, vel leviores, impunè abire non patiebatur; eâ tamèn prudentiâ in delinquentes zelo justitiæ erigebatur, ut ipsorum animos, durâ verborum increpatione, non exasperaret, quìn potiùs leni monitione, culpam agnoscere, ac pœnam admittere cogerentur, qui deliquissent.

An servarentur vota, an custodirentur leges, an sacra mysteria reverentèr persolverentur, an accuratè perficerentur studia diligentissimè inquirebat. Ut fratres omnes, vel ipsi Conversi, spiritualibus exercitiis quot annis vacarent districtè præcipiebat. *Desolatione*, aiebat tùnc, *desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.*

Ubi Philosophiæ, aut Theologiæ adessent studiâ, ut, decurrente visitatione, Theses publicè defenderentur imperabat; ipse verò disputabat, instabat, ac subtiliori argumento nèdùm discipulum, verùm etiam lectorem urgebat. Qui appositè respondisset laudabat coràm, ipsi, ac cæteris ut animos faceret.

Difficillimam hanc regendi artem, quâ mirificè excelluit, non tàm singulari prudentiâ, ac diuturno rerum usu, quàm assiduis precibus sibi comparavit, & hoc maximè donum Dei est fœlicitèr præesse. Regendo perficiebat, quæ meditando didicisset, rectèque terrena regebat, quia, monente Gregorio Magno, noverat prius divina tractare.

Ut dignitates ambitiosè non desiderabat diffidens sibi, ità demandata officia, divinâ ope fretus, obstinatè non respuebat; desiderare superbiæ, respuere desidiæ, ac laboris tædio tribuebat.

Anno 1702 à Reverendissimo Francisco *de Crillon* Venciam vocatus ut ibi, decurrente sacrâ Quadragesimâ, verbi Dei præconem ageret, augendæ pietati plurimùm profuit, ac Venciæ congregati totius penè Diœcesis Parochi spiritualibus exercitiis, Modesto dirigente, vacantes, non levem fructum retulerunt, magnumque in hisce partibus sui desiderium abeundo reliquit. Anno 1715 Patriam, negotiorum causâ profectus, inutili servo me in socium assumpto, tùm ibi, tùm in vicinis Glandevensis Diæcesis Parochiis, mensibus Julio, & Augusto neglectâ æstivi caloris intemperie, concionari non destitit.

Menses tres, nèc interruptè, in difficillimis habendis mis-

sionibus cùm peregisset, nullo pacto, nullisque amicorum precibus adduci potuit, ut in Conventu degens, à diuturno labore cessaret, quietique aliquandiù indulgeret vir cærò qui ætate provectus (septuagesimum sextum agebat suæ ætatis annum) : novo sempèr animarum salutis studio succensus, ad locum *de Caumont* Diœcesis Cavallicensis per sacram Quadragesimam concionaturus cùm fuisset profectus ibi pleuritide correptus, ad Thorensem Conventum deportatus est.

Ingravescente morbo, mortisque denunciato periculo, nihil animo conturbatus est. Sed quasi gratæ rei accepto nuncio *Lætatus sum*, inquit, *in his quæ dicta sunt mihi*, *in domum Domini ibimus*.

Mox anteactæ vitæ noxas, R. P. Reginaldo, prædictæ Domus Priore aurem præbente, generali confessione, profluentibus lacrymis, expiavit, ac sanctissimum Jesu Christi corpus ardentissimè expetitum pro Viatico sumpsit ; nèc mora, adventantem mortem præsentiens, inungi ad supremam luctam postulavit, ac præsentissimâ semper ratione placidissimè obiit anno 1725 die vigesimâ quintâ Februarii, postquàm annos quadraginta in Vindascino Comitatu, Delphinatu, ac Gallo-Provinciâ, incredibili zelo, missiones peregisset. Quod Vicarii Generalis fungeretur officio, ac sanctioris vitæ famâ claresceret, defuncti exequias cohonestarunt Thorensis Civitatis viri nobiles, magnâque Civium frequentiâ, in communi fratrum tumulo sepultus est.

CAPUT XVI.

Joannes Hyacinthus De Silvestre *à B. Virgine.*

IN Civitate *de Gordes* Gallo-Provinciæ, ac Diœcesis Cavallicensis, Laurentio *de Silvestre*, & Mariâ *de Pierrousset* nobilibus parentibus natus est anno 1673, die vigesimâ tertiâ Februarii.

Grammaticam vixdùm edoctus, Andegavensis pedestris Turmæ subcenturio, deìn ejusdem legionis Dux annis circitèr duodecim militiam secutus est ad res bellicas proclivis.

Honoris avidus, àc ardentiori gloriæ ſtudio incenſus, quod ſibi ad cœleſte Regnum acquirendum datum fuerat temporis, id ille in rixarum periculis, in ſectandâ inani gloriâ, ac ſeculi vanitate conſumpſit.

Verumtàmen intèr hujuſmodi vitia, præclara quædam elucebant religioſæ mentis indicia ; Deiparam Virginem peculiari affectu colebat, ſtypem pauperibus alacri animo erogabat piorum hominum conſuetudine, ac colloquiis delectabatur ; Eliſabetham *Graille* Tertii Ordinis ſancti Patris Dominici, præclarâ ſanctimoniâ, in Civitate *de Gordes* percelebrem frequentèr adibat, ſuiſque precibus commendabat ſe, hibernis cum in patriâ uteretur.

Hunc in modum adoleſcentiâ, ipſoque juventutis flore conſumptis, cùm annum ageret quartum ſuprà trigeſimum, habito cùm prædictâ ſorore longiori de mundi contemptu, ac ſeculi vanitate colloquio, ſic ad meliora excitatum ſenſit ſe, ut à laxiori vivendi ratione, Deo auxiliante, revocatus, relictâ ſeculi militia, Chriſtum ſequi, ejuſque in Ordine Prædicatorum crucem ferre, animo ſtatuerit.

Itaquè regularem habitum à R. Patre Hyacintho *Mercier* Sanctiſſimi Sacramenti Congregationis Vicario Generali humilitèr petiit, interjectiſque ad explorandam ipſius mentem menſibus quinque, obtinuit.

Joannem Hyacinthum præ omnibus filiis ſuis diligebat pia ipſius Mater ; quapropter, quod mortuus revixerit, quodque, qui perierat inventus ſit, ſummoperè lætata eſt, Deoque gratias egit.

Totum probationis tempus partìm in perſcrutandâ à peritis ſapientiâ, partìm in ſacris libris legendis comſumpſit. In ſpiritualibus rudis, ac peregrinus ſanctorum præſertìm Patris Dominici, & Ignatii ſanctiſſimæ Societatis Jeſu Parentis vitas ſtudiosè perlegens, varia diverſarum virtutum exempla diligentèr obſervata, in notas cogebat. Perutilem de Imitatione Chriſti libellum ſæpiùs revolvens penè ex integro memoriæ commendavit. De erratis corrigi, nedùm patiebatur, verùm etiàm placebat, ut ſcilicèt decrrantes mores in melius reformarentur.

Solemni emiſsâ profeſſione, in alium virum mutatus apparuit ; qui pronus erat ad iram mitiſſimus effectus eſt ; qui,

nullâ obstrictus lege, aspero fuerat ingenio, ad omnes postmodùm docilem, flecti facilem, ac repugnandi nescium præbuit se; ad Religionis officia malè comparatus magnâ in Deum pietate præditum omnes sunt admirati. Arctiori pœnitentiâ, cordis humilitate, sui ipsius contemptu, solitudine, silentio, piisque lectionibus Deo placere sempèr studuit.

Quæ militiæ gessisset mala amarè deflebat, quique se (Gregorii Magni verbis utor) aliqua illicita egisse meminisset, ex ipso suo dolore compunctus inardescit in amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercet, & cuncta difficilia sancti certaminis appetit, omnia mundi derelinquit, honores fugit, contumeliis delectatur, ad cœlestem Patriam anhelat, & quià à Deo se errasse considerat, damna præcedentia, lucris sequentibus compensat; Tantùm à se licita abscindit, quantùm se meminit, & illicita perpetrasse.

De rebus bellicis, de obsidione urbium, de commisso prælio, de partâ victoriâ, de fugatis hostibus, de inflicto, aut accepto vulnere, de adverso eventu aut prospero, de variis diversarum regionum peregrinationibus hàud unquàm est locutus; adeò ut eorum planè oblitus videretur.

In Aquensis Civitatis Territorio à viro nobili hospitio exceptus istud præbuit modestiæ, ac humilitatis exemplum. Qui aderant viri duo bellicâ laude conspicui, quique ternas unâ cum Joanne Hyacintho militares expeditiones olìm confecerant, advenientem hospitem illicò conveniunt, urbanicè, ut Gallorum mos est, salvere jubent, in illius amplexum insiliunt, de præclarè gestis ipsi gratulantur; mox de bellicis sermonem ineunt, diversos casus, longiori narratione, recensent, quæ evasissent pericula commemorant Ducum peritiam, militum audaciam extollunt.

Quasi verò hæc Joannes Hyacinthus nesciret, in hisque foret peregrinus, dejectis in terram oculis conticuit, hæcque tantummodo verba subjunxit *& illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Hæc narrabant mihi, qui prædicto adfuerant colloquio.

Joannem Hyacinthum habui quandòque itineris socium. Anno 1710, Novembri ineunte, præcelsum illum Vindascini Comitatus montem, quem Ventosum vocant transendentibus, ingenti exortâ procellâ, quâ vestes aquâ defluerent, ipsum

lætiorem aliàs non vidi; pedes, qui equo uti consueverat, nèc vèl minimùm conquestus est. Quod, incumbente nocte, ultrà progrediendi tempus non suppeteret, villulam ingressi, cùm totis ædibus, ipsoque cubili perplueret, totam noctem insomnem duximus, ipsiusque patientiam sum admiratus.

Grammaticam, ut suprà prænotatum est, vixdùm edoctus, quodque animum ad studia refferre ipsi per ætatem non liceret, Novitiorum institutioni præfectus est. Urbanitatis optimè sciens, ut politioris vitæ rationem modestiæ, mansuetudini ac humilitati sociarent, frangerent naturæ impetum, Beatissimam Mariam Virginem colerent, ac seipsos abnegantes, pauperem, ac humilem Christum sequerentur, eos maximè hortabatur.

Ab emissâ professione tenui fuit, aut nullâ prorsùs valetudine. Dolore capitis frequentèr affectus, omnes, ferè cibos, stomacho fastidiente, respuebat, nèc propterà consueta solvisset jejunia, aut necessario fuerit usus solatio, nisi præcessisset superioris imperium. De redintegrandâ sanitate nihil sollicitus, animam suam oderat in hoc mundo, ut eam in vitam æternam custodiret.

Viribus exhaustus, cùm ingravescente in dies morbo periculosius ægrotaret, sacris, quæ ad expiandum animum pertinent, ritè susceptis obdormivit in Domino in Thorensi Conventu anno 1727 die vigesimâ quartâ Octobris.

CAPUT XVII.

Christophorus Brun *à Puero Jesu.*

IN Oppido *de Toudon* Comitatus Nicæensis, Patre Antonio *Brun*, Matre verò Catharinâ *Maurèl* humili loco, tenuique fortunâ natus est anno 1643 die decimâ-nonâ Decembris.

Eo Magistro in Saltuensi Conventu regularis Institutis tirocinium posui, ac per aliquot annos unà sumus commorati; quas propterea ejus virtutes ipse novi, brevi narratione complectar.

Quod ab ipso ineuntis ætatis principio, clariora mansue-

tudinis, patientiæ, ac pietatis proderet indicia, bonæ ſpei puer ab omnibus dicebatur. Adoleſcens viri Dei Antonii prædictum animo reputans, mundo nuntium remittere cùm ſtatuiſſet, non obſtitere parentes, nequè morabantur ſeculi blandimenta, aut divitiæ.

Anno itaquè 1660 Thorum cum veniſſet, Dominicanæ adſcribi familiæ humilitèr petiit. Staturâ puſillus, obſoletâ veſte indutus, commendatitiis litteris deſtitutus, repulſam profectò paſſus ſit, ſi contrà divinum præceptum, ſecundùm faciem judicaſſent Thorenſis Domus religioſi viri; at verò, divino nutu factum eſt, ut probatâ pii adoleſcentis mente, omnium voto admiſſus, regulari habitu ab ipſo Antonio indutus ſit.

Exìn ejuſdem Antonii monitis, ac exemplo eruditus, eximiæ poſuit tirocinia ſanctitatis, Deoque nuncupatis ſolemnibus votis, humilitate præſertìm, obedientiâ, pudicitiâ, ac temperantiâ, cæteris prælucere viſus eſt. A vanis colloquiis abſtinens, Deoque mente conjunctus ipſum recogitare jàm cæpit, nequè à ſanctiori hac conſuetudine, vèl negotiis implicatus, ad mortem uſquè receſſit; hìnc modeſtia, hìnc manſuetudo, hìnc præclara illa animi pax, quam ipſe Chriſtophori vultus demonſtrabat.

Cæterùm, quod expleto ſtudiorum quinquennio, ac Sacerdotio potitus, peragendis miſſionibus, præ nativâ corporis infirmitate eſſet impar, Novitiorum inſtitutioni præfectus, legum obſervantiam, nedùm verbo, verùm etiam exemplo (quod profectò efficacius eſt) ipſis ſuadere, eoſque piis, ac religioſis moribus informare omni ſtudio, ac diligentiâ ſatagebat. Ut Domino ſervirent in lætitiâ, horiſque animi relaxationi præſtitutis, ſervatâ modeſtiâ, oblectarent ſe, reliquo verò die, piis exercitationibus vacarent advigilabat; Novitios frequentèr interrogabat, ut ipſorum judicium experiretur, de rebus piis percunctabatur, ut eorum in ſpiritualibus progreſſum agnoſceret. Magiſtri Novitiorum officio annis quadraginta, maximo Religionis bono functus eſt.

A parentibus, & conſanguineis Novitiorum vocationem probari, nèc ægrè, patiebatur. Anno 1700 Auguſto deſinente, quidam adoleſcens, cùm humaniores litteras Avenione didiſciſſet inſciente Patruo, ſub cujus curâ, ac regimine adoleverat,

adoleverat, Saltum profectus est regulari veste induendus.

Idem Patruus, qui ampliori beneficio nepotem destinaverat, illùc actutùm advolat, Magistrum Novitiorum vocat, subiratur advenienti, contumeliis appetit, prætensam subornationem exprobrat. Ità nè verò, inquit, Nepotem carissimum ab Patruo abducis? Nequè hunc à te cive meo expectaveram agendi modum.

Bona verba quæsò, Domine mi, humilitèr, ac placidè respondit Chystophorus, hùc liberè venit adolescens, hìnc liberè abire pænès ipsum est nèc propterea ipsi quisquam molestus sit. Nepotem accersit, ac Patrui voluntati tradit pertentandum; ipse verò Ecclesiam ingressus, & antè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quandiù Patruum inter, àc nepotem perduravit oppugnatio, devotissimè orans, adolescentis in Ordine perseverantiam impetrasse multi credidere.

Qui in malevolam animam non intrare sapientiam, nequè habitare in corpore subdito peccatis optimè sciret neminem vèl levi odio habuit; neminem re, aut verbis offendit, neminem circumvenit, seque ab omni lethalis peccati labe immunem servasse, ad majorem Dei gloriam testatus est, qui penè moriturum de totâ vitâ confitentem audivit aberant à colloquiis mendaciuncula, aberant fucata verba, aberant æquivocationes, unum, idemque ferè reputabat ambiguè loqui, atquè mentiri.

Dissimulare illud nescio, vèl si mihi exagerationis nota subeunda sit. Universus quà latè patet Ordo Prædicatorum Christophoro pauperiorem non habuit. Peccasse putabat, ac dives nimiùm sibi videbatur, si Cellula, vel minimo ornamento refulsisset; hanc lignea Jesu-Christi è cruce pendentis imago, chartaceæ imagines duæ, una Beatissimæ Mariæ Virginis, altera verò sancti Patris Dominici exornabant; prætiosi nihil, exquisiti nihil admitebat; quæcumque sibi usui essent, amicam paupertatem redolebant.

Mira Christophori hæc laus est, quòd, per annos triginta ab emissâ professione, nèc carnes, nèc pulmenta cocta cum carnibus comedit: hoc mihi anno 1701 jusculum porrigenti graviùs decumbens, eâ, quâ pollebat ingenuitate, confessus est. Tenui victu contentus solum Panem ad refectiunculam adhibebat, vel ætate longævus; veritus maximè, nè sibi

nimium indulgeret, antèquàm comederet suspirabat; secundarium panem, pœnitentiæ causâ, primario anteponebat.

Percunctanti mihi, quæ hujusce rei esset causa, ad hanc sanctam Societatem ex paupertate veni, respondit, extrà culpam non sim, si ea quæram in Monasterio, qui nèc foris habere potuerim; mirùm sanè, ac detestanda perversitas sit, si dùm fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.

Alti silentii vir, ac Cellulæ addictus, aut meditabatur, aut legebat. Sancti Thomæ summam Theologicam, cui annis quatuordecim impensè studuit, eâ methodo contrhaxit, ut in re quavis Theologicâ, aut morali lector è vestigio discernat. Epitome hæc in Saltuensis Conventus Bibliotheca manuscripta asservatur. Secundam secundæ, in quâ de virtutibus, ac vitiis potissimùm agitur penè ex integro memoriæ mandaverat, adeò ut, citatis ipsemet verbis, Questionem, vel etiàm Articulum in promptu designaret. Quod experimento compererat, Angelici Doctoris Opera, nedùm ad scientiam, verùm etiam ad pietatem amplam parare viam, dictitabat senex optimus.

Quod in toto Saltuensi Comitatu pietatis, ac doctrinæ famâ valeret, ad eum veniebant juniores maximè Sacramenti Pœnitentiæ administri, ut quos vocant conscientiæ casus dissolveret, ipsiusque stabant judicio. Diffidentes familias pace componere, ac pauperum lites compescere ex charitatis officio nitebatur, ipsiusque agendi modum Saltuensis Curiæ Judices, de rectâ ejus intentione, ac doctrinâ certiores, quique cupiditati non servirent, non modò non culpabant, quin potius laudarent.

In excipiendis fidelium confessionibus assiduus, rectam salutis viam edocens, ad Dei amorem, ac mundi contemptum omnes excitabat, vitii odium, ac virtutis amorem confitentium mentibus ingenerare omni studio nitebatur: in Saltuensi Conventu annos quinque suprà quadraginta continuò commoratum, augendæ pietati, vitiisque compescendis plurimùm profuisse sæpenumerò contestatus est Saltuensis Ecclesiæ Parochus.

Anno 1727 die vigesimâ sextâ Junii extremum vitæ diem lætus aspexit, ac intèr fratrum suorum precationes, & lacrymas, cum magnâ apud seculares ipsos sanctitatis fa mâ, placida morte migravit ad Dominum laborum, ac virtutum præmia percepturus.

Caput XVIII.

Antonius Demolis *á Sanctissimo Sacramento.*

IN eo Sabaudiæ Ducatus, ac Genevensis Diœcesis Oppido, quod vocant *Manthonoy* catholicis parentibus natus est anno 1653 die vigesimâ septimâ Julii. Adolescens Anesium studiorum causâ missus, sacram Ædem Monialium, quæ à Visitatione Beatæ Mariæ nuncupantur cùm sæpius adiret, antè sacras sancti Francisci reliquias oraturus, mundum fastidiens sacro Carthusianorum Ordini nomen dare cogitavit solitudinis, victusque asperioris amicus. Hac susceptâ cogitatione viciniorem Carthusiam frequentare jàm cœpit, ut, scilicet, terrestrium Angelorum consuetudine, ac piis allocutionibus in sancto proposito firmaretur.

Alia tamèn fuit Divinæ Providentiæ ratio, exquisito namque Confessarii consilio, fusis ad Deum precibus, ac Sancti Francisci Salesii implorato patrocinio, Sancti Dominici instituta in Sanctissimi Sacramenti Congregatione, cujus famâ Anesium pervaserat, sectari constituit.

Itaque, dimissâ ampliori hereditate, parentibusque ægre ferentibus Thorum profectus, regulari habitu indutus, ac expleto tirocinio, solemnia Deo vota nuncupavit anno 1678 die decimâ sextâ Aprilis.

Sacerdotio initiatus, non leve quàmvis linguæ impedimentum pateretur, unum, quod à Domino talentum acceperat non abscondit, nèc spectatorem otiosum præbuit se, dùm verbi Dei præconio cæteri fratres darent operam. Ingenti conatu, ad populum verba faciens, rectis informandis moribus documenta idoneo ex argumento promebat, angustam, arctamque viam, quæ duxit ad vitam Evangelio testante, omnibus demonstrabat, eâ vi, eoque mentis fervore, ut fructuosa sempèr fieret oratio.

Cæterùm, quæ in humeros audientium Antonius imponebat onera, jugi sui corporis castigatione ipse portabat, Regnum Cœlorum antè homines reserabat, ipse prior intrabat. Quod non leve pœnitentiæ genus est, hyeme sæviente, ad

ignem haud unquàm venit, ut calefieret, vèl ætate provectus. A càrnibus abstinentiam, ac præstituta Ordinis jejunia perquàm accuratè servavit, itinera, vèl longiora, quoad vixit pedes egit regularis disciplinæ observantissimus.

Ergà Beatissimam Mariam Virginem peculiari devotione affectus, de ejus laudibus sat nunquàm se dixisse putabat, ejus sacri Rosarii cultum promovere sempèr curavit, totisque viribus auxit. Sacellum eidem B. Virgini in Ecclesiâ nostrâ Vasionensi dicatum, spontè datis eleemosinis extruendum curavit, picturis, ligneo instructu, auraturâ, ac sacra supellectili adornavit.

Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens seipsum, à suscepto regulari habitu, nèc patriam adiit, nèc parentes invisit; ad aratrum missa manu non respexit retrò, ut aptior fieret Regno Dei. Claustrum patriam fratres consanguineos vocabat.

Mentali orationi vehementèr addictus, dùm perutili huic exercitio tèr quotidiè vacaret, in suscepto sanctè vivendi proposito animum obfirmabat; sui miseriam agnoscens fiebat humilior, Dei majestatem demiratus, eum ferventiori mente reverebatur.

Nonnullis Congregationis Conventibus præfectus, demandatum officium diligentissimè exsequebatur. Antonium providentiâ, sollicitudine, ac regularis observantiæ zelo nemo superaverit.

Duobus antè obitum annis, omni corporis sensu destitutus morti proximus visus est; ad seipsum vi remediorum revocatus, ac redintegratâ sanitate, bono omnibus exemplo esse non destitit. Officiis in communi decantandis, præfinito temporis articulo, diù, noctùque sempèr interfuit, nequè à choro abesse visus est; in audiendis fidelium confessionibus indefessus, in invisendis ægrotis assiduus, magnum præbuit pietatis, ac charitatis exemplum.

Abundantiori è cerebro humorum fluxu, nècnon provectioris ætatis solito vitio excussis dentibus, solo pane, potuque parciori annis singulis per septem circitèr menses ad refetiunculam usus est, nèc ab hac austeriori lege recessit sexagenario major; quatuor dumtaxat, qui obitum præcesserunt mensibus vix adduci potuit, ut ad panem, levius pulmentum adhiberet.

Anno Domini 1727 in Conceptionis B. Mariæ Virginis pervigilio, adornato, de more, ſanctiſſimi Roſarii Sacello proximam mortem præſentiens, antè Altare genuflexus, nudato capite, ac profluentibus lacrymis, me coràm, in omne futurum tempus diſcedendi veniam à B. Mariâ Virgine humillimè petiit: unus, inquit, mihi animi dolor eſt, Sacri Roſarii Regina, quod iſtud obſervantiæ meæ teſtimonium exibere nuſquàm potero; patrocinio tuo non deſis mihi miſero peccatori.

Et verò, paucis interjectis diebus, hydropis morbo correptus, jugi pœnitentiâ inſignis, diſciplinæ regularis ſtudio conſpicuus, ac Eccleſiæ Sacramentis refectus intèr manus meas, ſereno vultu, placidâque morte quievit in Domino in Conventu Vaſionenſi anno 1728 die vigeſimâ Januarii, horâ ſextâ matutinâ.

CAPUT XIX.

Honoratus Alziary à Puero Jeſu.

INtèr præſtantiores Antonii à Sanctiſſimo Sacramento Diſcipulos, qui inſtitutam ab eo Congregationem pietate, doctrinâ, ac ardentiori proximorum ſalutis ſtudio illuſtrarunt Honoratus Alziary à puero Jeſu potiſſimùm commendatur. Hujus vitæ ſanctioris elogium, gallico ſermone conſcriptum, habetur in anno noſtro Dominicano parte ſecundâ menſis Auguſti; illud hiſtoriæ noſtræ attexere æqui ratio poſtulat. Patre Gerardo Alziary, matre verò Franciſcâ Revel piis parentibus anno 1632 die ſeptimâ Januarii in Oppido de Toudon Comitatus Nicæenſis natus eſt. Adoleſcens R. Patre Joanne Dalmaſſy de maximo æternæ ſalutis momento, quo ſolebat Apoſtolico zelo, perorante, ejuſdem acquirendæ ſalutis tanto deſiderio accenſus eſt, ut relictis parentibus novendecim annos natus Joannem ſequi, ac nupèr inſtitutæ Sanctiſſimi Sacramenti Congregationi nomen dare conſtituerit. Fratrem ſuùm Albertum natu minorem à ſuſcepto conſilio dehortantem piis allocutionibus, animique firmitate ità ſuperavit, ut Albertus ipſe, aliique ex eodem Oppido quinque

bonæ ſpei adoleſcentes Thorum venerint regulari veſte induendi.

Honoratus Thorenſi Prædicatorum familiæ aggregatus, Antonio Magiſtro tantùm profecit, ut mox in alium virum mutatus viſus ſit. Conſpicua in Novitii facie animi tranquillitas, vitæ innocentia, ac modeſtia elucebant. Decurrente Religionis tirocinio per duos menſes corpus ſuum accutiſſimis licet febribus pergravatum inſolito mentis fervore, menti ſervire cogebat; adeò ut Antonius in maximam amplioris progreſſus ſpem adduceretur, nèc eum fefellit opinio.

Nuncupatis Deo ſolemnibus votis, aucto admodùm quo agebatur pænitentiæ deſiderio, inductis ſuprà Regulam in pane, & aquâ jejuniis vigiliis, cæteriſque corporis afflictationibus magnoperè delectabatur. Perſolutis matutinis antè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad plures horas orationem protrahebat, ibique eâ mentis ſuavitate afficiebatur, tantuſque eum divinæ charitatis incendebat ardor, ut extrà ſe rapi videretur.

In Honorato cùm hæ, quæ regularem vitam decent virtutes inter ſeſe penè ex æquo certarent, eâ tamèn præſtabat animi demiſſione, ut ſeipſum deſpiciens ab aliis contumeliis affici ſincero corde deſideraret, ac infirma Domus miniſteria libenter obiret, ampliorem gloriam reputans, ſuis ſpretis, aliorum commodis inſervire.

Vir eruditus Philoſophiam, ac Theologiam per annos aliquot, non levi Diſcipulorum progreſſu profeſſus eſt, verùm Antonii à Sanctiſſimo Sacramento, cujus nutu, oreque pendebat, exemplum ſecutus, quodque non deeſſent tunc qui ejus vicem implere eſſent idonei, prædicationi verbi Dei ſe totum dedit. Magni profectò periculi res eſt, inquit, ſi quis Prædicatorum Ordinem profeſſus non prædicet, prædicare cum poſſit.

Territorium Vivarienſe à Beatiſſimo Franciſco Regis Societatis Jeſu, ineunte ſeculo decimo ſeptimo, immenſis laboribus excultum, noſtriſque adhùc impervium, copioſam Honorato meſſem obtulit; quapropter illùc divinæ gloriæ propagandæ ſtudio profectus eſt Apoſtolicum munus obiturus. Ibi ejuſdem B. Franciſci exemplum ſecutus montanam regionem, vel ſæviente hyeme, percurrens ſolis fidelium

eleemosinis spontè oblatis victitabat; ibi duriores viæ labores, ac temporum injurias passus, aut equitare, aut carnibus vesci, vèl etiam præstituta sui Ordinis jejunia solvere nunquàm visus est.

Anno 1678 in ampliori Oppido *de Burzét* per sacræ Quadragesimæ dies, vel habendis quotidie ad populum concionibus, vel excipiendis fidelium confessionibus occupatus solo pane ad cibum, merâ aquâ ad potum, perraro pœnitentiæ exemplo, usus est, ibique insequenti anno, adjunctis sociis tribus, nullâ petitâ mercede, tanta hominum frequentiâ, tantoque Auditorum fructu sacram missionem habuit, ut frequentiores in hisce partibus habendi missiones perutilis invaluerit consuetudo, ac D. Henricus *Chabot* Ecclesiæ *de Niaigles* Parochus similes à nostris in omne futurum tempus quot annis nùnc hìc, nùnc illìc habendas missiones proprio ære fundaverit. Casu contigit aliquandò, ut in pervigilio festæ diei sanctissimi Patriarchæ N. Cœnobium quodam advenerit Honoratus longius profecturus; cùmque qui ejusdem Sancti Panegyricam orationem postridiè habere debuerat non venisset infirmitate detentus, rogatus, ut impediti Concionatoris vicem impleret, tanta de Monastici status sanctitate disseruit, quæque vereri debeant gravia mala, qui solutâ regulari disciplinâ, ac neglecto acquirendæ perfectionis studio, ad prava mundanorum desideria redeunt, eâ vi prosecutus est, ut Monachi quamplures perterrefacti, à laxiori vivendi ratione revocati sint.

Vir in concionando vehemens, in fœneratores, ebriosos, ac voluptati deditos homines cum inveheretur, eorumdem vitiorum horrorem audientium animis ingenerans, reos, auxiliante Deo, à turpi vitâ ad emendatiorem adducebat.

In loco *de Monieux* Comitatus Saltuensis, ac Diœcesis Carpentoractensis de ultimo, ac tremendo Dei judicio eo zelo, tantaque virtute dixit, ut fracta pectoris vena viam morti patefecerit. Tùm ad Saltuensem Conventum, ubi Priorem agebat, deportatus, sancti Patris Dominici spiritu plenus, verbo, & vitâ clarus, circùmstantibus, ac collacrymantibus fratribus sanctissimè obiit anno 1682. die octavâ Februarii. In ejusdem Saltuensis Conventus Necrologio Vir ferventissimi animi, stupendæ pœnitentiæ, summæ peritiæ,

Apostolici zeli, ac regularis observantiæ rigidissimus, ac tenacissimus cultor dicitur.

CAPUT XX.

Hyeronimus Sanlegér *à Sanctâ Rosâ.*

HOc hominum generi à naturâ datum est, inquit sanctus Anselmus, ut quæ in familiâ laus fortè floruerit, hanc qui sunt ejus styrpis cupidissimè prosequantur. Hìnc Hyeronimus auditis quæ de Antonio à Jesu Patruo suo mirabilia dicebantur, eum imitari à primâ pueritiâ constituit, nèc à suscepto consilio seculo blandiente recessit.

Aquissextiis anno 1656 ingenuis parentibus natus est. Decurrente verò ætatis suæ anno vigesimo secundo regularem habitum, quem diù humiliter petierat à R. Adm. Patre Archangelo Gabriel Congregationis Vicario Generali pro votis obtinuit. Instituti sui mentem assecutus, sanctique Patris Dominici verè filius expleto studiorum curriculo, ac Sacerdotio initiatus duo, quæ à Domino talenta acceperat augere magnoperè fuit sollicitus, quodque satiùs judicaret silere, quàm multùm loqui, cellulæ addictus, & ab omnium secularium personarum seggregatus, lectioni, aut conscribendis, quas postmodùm haberet ad populum concionibus tempus utilitèr insumebat; quod verò non valeret memoriâ, eas propterea ediscere, ingenti conatu, ad Dei gloriam nitebatur.

Rudibus, & Agricolis eò libentiùs prædicabat, quò magis spiritualibus auxiliis indigerent. Nedùm in Oppidis, verùm etiam in villulis, congregatâ serotinis horis familiâ, in eminentiori loco stans pro Auditorum captu, de divinis loquebatur. Solutâ verò concione pueros, vèl etiam ovium pastores necessariis fidei capitibus, aut informabat, aut ex tribus sanctissimi Rosarii partibus unam alternis vicibus, ac interjectâ sacrorum Mysteriorum explicatione, recitabat.

Vir fuit simplex, ac rectus, nèc fraudulentèr agere unquàm visus est. Pacis amans, ac mansuetus ab omni rixâ, & dissidio semper abhorruit. Superioribus, vel in minimis

non

non paruisse nefas judicabat, quodque pium in Beatissimam Mariam Virginem affectum certissimum sibi præsidium experimento comprobasset, eam peculiari studio sempèr coluit, ejusque Sanctissimi Rosarii devotionem omnibus ingerere nitebatur.

In eo Vindascini Comitatus, ac Tricastinæ Diœcesis Oppido, quod *Richerenche* à Gallis dicitur, decurrente sacrâ missione, habitâ ad populum concione, vix ex suggestu descenderat, cùm latherali morbo correptus est. Tùm pèr ægritudinis molestias vicinam mortem persentiens, Ecclesiæ Sacramenta sibi exiberi humilitèr petiit, piissimèque suscepit. His communitus, ac Ecclesiæ precibus roboratus ad hujusce vitæ transitum animam suam, accommodatis, tùm Scripturæ sacræ, tùm sanctorum Sententiis exhortans, coràm adstantium, ac flentium civium multitudine obdormivit in Domino anno 1718 die vigesimâ primâ Januarii. Corpus ejus è seculari Domo, omnium penè Civium comitatu, ad Ecclesiam delatum in Tumulo Parochis destinato, intèr missarum solemnia repositum est. Eâ porrò cautione fuerat servatum, ut Oppidi obseratæ sint fores, nè vi, aut fraude subriperetur.

CAPUT XXI.

Thomas Blanc *à Sancto Ludovico.*

BUxi, quæ Provinciæ Delphinatus perantiqua Civitas est ingenuis parentibus natus est anno 1659. Qui salutiferis Baptismi aquis abluendus Ludovici nomine donatus fuerat, postmodùm dùm regulari habitu à R. Adm. Patre Joanne Francisco Bernard Congregationis Vicario Generali indueretur, Thomas à Sancto Ludovico appellatus est.

In Buxensi Ordinis FF. Prædicatorum Conventu prima litterarum rudimenta, ac grammaticam edoctus, bono Religiosorum virorum exemplo, piisque allocutionibus mundum fastidiens, eidem nuntium remittere, vix adolescentiam ingressus, constituit.

Augebatur tùnc Congregationis Domorum numerus. Antonii à Sanctissimo Sacramento fama longè, latèque manabat,

cumque multi ad ipſum perfectionis ſtudio venirent, Ludovicus, expleto Carpentoracti humaniorum litterarum ſtudio, regularem in Sanctiſſimi Sacramenti Congregatione obſervantiam amplexus eſt, eamque (quod mirum cuique videri debeat) annis novem ſupra quinquagintà, nullâ uſus diſpenſatione, indeſinentèr tenuit.

Ad Prædicatorum Ordinem vocatus, nedùm ſuæ ſtudere perfectioni, verùm etiam æternam proximorum ſalutem, verbi Dei præconio procurare, ſui muneris exiſtimavit, cui quidem muneri ut aptior fieret ſacrarum Scripturarum lectioni dedit ſe, ut quæ à Patre luminum didiciſſet, aut proprio labore comparaſſet in aliorum utilitatem effunderet. Per annos fermè quadraginta ſacris miſſionibus interfuit, ac decurrente ſacrâ jejuniorum Quadrageſimâ habuit ad populum conciones. Quod appoſitè diceret, fructuoſa ſempèr fiebat oratio.

Regendis Conventibus admotus regularem obſervantiam quà verbo, quâ exemplo fovere non deſtitit. Mira fuit Thomæ in ſubditos ſibi fratres comitas, ac dilectio: omnibus omnia factus, infirmos ſuſcipere, omnibus neceſſaria ſolatia providere ſummoperè lætabatur. Si quis (ut humana fert fragilitas) aliquandò peccaſſet, ſic puniebat, ut à paternâ charitate non abeſſet caſtigatio.

In cantandis Dei laudibus vehementèr delectatus, ut divinum officium reverentèr perſolveretur, ac tùm plani cantus, tùm pſalmodiæ leges accuratè ſervarentur diligentèr attendebat. Sacras Eccleſiaſtici ritus cæremonias, ac Conſtitutionum noſtrarum Textum, variaque ejuſdem Textus Commentaria apprimè edoctus, ſi quæ ſupèr his emerſiſſent dubia, mirâ perſpicuitate ſolvebat.

Ad Congregationis Vicarii Generalis munus à R^mo. Patre Antonino Cloche ſemèl, & iterùm aſſumptus nihil de victus aſperitate, nihil de conſuetâ agendi ratione immutavit. Hoc fungebatur officio, cùm Aquaſſextias negotiorum causâ profectus, ad noſtri Conventus januam cùm adveniſſet pedes, viatorium baculum manu tenens, unoque Converſo mauticulam ferente comitatus, caſu contigit, ut ſupremæ Curiæ Conſiliarium è Conventu egredientem reperiret; hic auditâ ab Oſtiario advenientis hoſpitis Dignitate admiratus eſt, àc adſtantes allocutus Magna profectò, àc laudabilis, inquit, res eſt in

Dignitatibus non extolli ! ampliori honore dignus eſt religioſus iſte vir, quò, abjecto omni faſtu majorem retinet iter agens ſimplicitatem.

Diuturnâ infirmitate exhauſtus ſanctioris vitæ finem ſortitus eſt in Vaſionenſi Conventu anno 1740 die undecimâ Decembris.

CAPUT XXII.

Raymundus à Sancto Petro.

IN eo Gallo - Provinciæ, ac Arelatenſis Diœceſis Oppidulo, quod *Grand* vocant natus eſt. Quo anno, quo die, quibus parentibus ? Archangelus Gabriel qui Raymundi vitæ Compendium gallicè primus conſcripſit, non refert. Arch. Gabr. tom. 2. p. 400.

Juvenis Clericali militiæ adſcriptus, mirâ ingenii ſuavitate, morumque ſanctimoniâ optimi Præsbiteri famam apud Cives ſuos conſecutus eſt. Verùm ad majora feſtinans, decurrente ætatis ſuæ anno trigeſimo quarto, obtento à V. Patre Antonio regulari habitu virtútum omnium laude in Thorenſi Conventu præluxit.

Obedientiam, quam expleto tirocinio Deo voverat adeò coluit, ut Sanctum Raymundum, quo nomine vocabatur, imitatus, quamvis in partem à ſuperioribus ageretur, eorumque nutus haberet pro præcepto. Sine fraude, & aſtutiâ vir, ut alter Nathanaël ab omnibus habebatur, quodque ſimulationem, omneſque fallendi artes neſciret, ipſius conſuetudine, ac colloquiis delectabantur ipſi ſapientiores.

Corporeæ conſtitutionis ingenita imbecillitas ab auſteriori victu, vigiliis, cæteriſque corporis afflictationibus in Congregatione uſu receptis, non modò non retrahebat, quin potius pane, & aquâ contentus frequentèr jejunaret, graveroque moleſtiam pateretur, ſi Superiorum juſſu, ab auſteriori hac vivendi ratione recedere cogeretur.

Cæterum, ut aſperrimo victu imminuebantur corporis vires, ità ſpirituali jugis orationis pabulo augebatur mentis vigor, & alacritas. Tanto namquè à miſerante Deo affectus eſt orationis dono, ut juxtà Evangelicum dictum, ſempèr oraret, & non deficeret.

Perutili huic exercitio diù, noctùque vacans, eâ ipsius mens cœlestium deliciarum replebatur affluentiâ, ut orandi finem facere vix posset. Quamvis autèm tantæ virtutis esset, ut vir Sanctus ab omnibus haberetur, demissè adeò sentiebat de se, ut probris, ac conviciis afficeret sese, merumque nihil reputaret quidquid boni operis moliretur: *Omnes justitiæ nostræ*, sæpissimè repetebat, *tanquam pannus menstruatæ.*

Pallens, ac macilenta Raymundi facies, defixi sempèr in terram oculi, totius corporis habitus ad modestiam compositus, quòd pœnitentiæ, ac recollectionis formam referrent ad earumdem virtutum amorem, intuentium animos excitabant.

Ad paupertatem quod attinet: eos intèr qui sanctioribus Antonii disciplinis eruditi sunt, neminem qui majores in virtute hac progressus fecerit, vix quisquam inveniat. Hujusce rei exempla duo refert Archangelus Gabriel in eo, quod supradiximus, Raymundi vitæ Compendio.

Gravem ægritudinem passus in extremo vitæ agone ab horis fermè quatuor versabatur, cùm, redeunte animo, de Imitatione Christi libellum in perulâ, ac Rosarii signum cingulo appensum habere se, animadvertisset, læsæ paupertatis pœnitentiâ ductus ea R. Patri Conventus Priori illicò tradidit, nè scilicet, ut quidem putabat, proprietatis vitio reus è vitâ discederet: alterum exemplum istud est. Jusculum Cochleari argenteo, ut Medicus jusserat, sibi præsentatum, humilitèr respuit, nèc hausit, donec ligneum ab infirmario adhiberetur.

Cæterùm quò propiùs ad mortem accederet, eò magis crescebant æternæ obtinendæ Beatitudinis desideria: quod corporis sui dissolutio immineret, àc Dominum januam pulsantem audiret lætabatur, in cujus quidem lætitiæ argumentum tersâ, ac elegantiori indui veste postulavit. Mox sacram Jesu Christi è Cruce pendentis imaginem amantissimè deosculatus placidè obdormivit in Domino in Thorensi Conventu anno 1673 die quartâ Aprilis, à suscepto regulari habitu anno nono.



CAPUT XXIII.

Thomas à Sancto Andreâ.

ANtonii à Smo. Sacramento, ejusque præstantiorum discipulorum vitæ coronidem imposuit Archangelus Gabriel, brevissimo Thomæ à Sancto Andreâ Clerici, elogio. Hoc ipse latinè redditum lubens subjungo. Arch. Gabr. tom. 2. p. 403.

Patre Alexandro *André* Matre verò Joannâ *Brun* anno 1679 die undecimâ Junii in Oppido *de Toudon* Comitatus Nicæensis piis parentibus natus est.

Vix regularem professionem emiserat, cùm morbo, eoque gravissimo, correptus est; nàm, ut altèr Lazarus universali plagâ quæ curationem non admitteret, adeò affectus est, ut à plantâ pedis, usquè ad capitis verticem non esset in eo sanitas, ac noxio humore, vitiatis occipitis ossibus, surdus planè effectus sit.

Plagis recrudescentibus frequentiora quamvis adhiberentur à Chirurgo remedia, quæ accerbissimum Thomæ dolorem inurerent, nedùm patientèr, sustinuit, verùm etiam renidenti ore, vultuque sempèr fuit hilari. Quò magis ingravesceret ægritudo, eò magis augebatur ægrotantis patientiâ, suæque voluntatis cum Divinâ voluntate consentio.

R. Pater Vincentius Maria d'Ollon, de quo suprà lib. 2 cap. 9 non ità pridem vitâ functus, magno circumfusus lumine, in somnis ægrotanti cum apparuisset, *Macte animo, Frater Thoma*, inquit, *quos pro Christo dolores sustines magna in Cœlo consequentur præmia.*

Incredibile verba hæc decumbenti gaudium attulere, novosque ad reliqua certamina subeunda addidere animos. Per annos decem Christo confixus cruci, ac diuturniori morbo planè exhaustus, anno 1676 die decimâ quintâ Augusti in Cadenetensi Conventu obiit.



CAPUT XXIV.

Dominicus Thomaſſin.

DE Dominico, aliiſque Converſis quinque dicturo mihi in mentem veniunt, quæ olìm Sanctus Auguſtinus, auditâ Antonii magni vitâ, gemebundus protulit. Quid eſt hoc? Surgunt indocti, & Cœlum rapiunt, & nos in doctrinis noſtris ſine corde &c. Ut omnis ætas, ità omnis conditio apta eſt Regno Dei. Venale eſt Regnum Dei, inquit idem Auguſtinus, emit qui vult, omnibus oſtenditur, omnibus promittitur, à volentibus percipitur. Quæ à ſapientibus, ac prudentibus Dominus Cœli, & terræ abſcondit, ea parvulis revelare conſuevit, idcircò quod, cum ſimplicibus ſermones ejus ſint.

Aupedæ, quæ Vindaſcini Comitatus Pontificiæ ditionis Civitas eſt, ad ipſas Luberonii montis radices poſita, agricolis parentibus Dominicus natus eſt anno à Virginis partu 1617, die octavâ Martii. Converſorum primus à famulo Dei Antonio Ordinis habitu indutus, ac, peracto probationis triennio, ad profeſſionem receptus eſt.

Jàm tùm ad regularis perfectionis apicem, per omnium virtutum gradus contendere viſus eſt, ac ſanctiori ejuſdem Antonii diſciplinâ eruditus, quam ſemèl arripuerit arctam æternæ ſalutis viam irrevocabili curſu tenuit, ut promiſſa ſervis fidelibus prœmia conſequeretur.

Qui non ad otium, ſed ad laborem ſe veniſſe recordaretur, Converſorum Officiis ſigillàtim, vèl eis conjunctim per aliquot annos, ob fratrum inopiam, perfunctus, unus trium Converſorum muneri ſufficiebat, in agendo promptus, & impiger.

Hilari vultu, ac jucundæ conſuetudinis vir, modeſtiam cum ſingulari comitate copulavit; obedientiam verò tanti fecit, ut quolibet adimplendo præcepto delectaretur, graviterque peccaſſe putaret, ſi eorum, quæ fuiſſent præcepta, vèl minimum præteriiſſet. Obedientiam virtutum omnium matrem, ac cuſtodem vocabat.

Antonii mentem pleniùs assecutus, ac Instituti sui legum observantissimus nihil unquàm per itinera, quæ ad stypem colligendam frequentèr agebat, de consuetis pœnitentiæ exercitiis remisit. Proprium Conversis Officium, statutis horis, erectâ ad Deum mente persolvens, rejectis vanis colloquiis, socioque procùl aliquantulùm à se dimisso, aùt cœlestis vitæ gaudia considerare, aut Domini nostri Jesu-Christi amaram passionem meditari. Illinc præ gaudio exultabat, isthinc præ dolore compungebatur.

Expletis per diem muneris sui partibus, ad sacram Crucifixi imaginem noctu orans tanto doloris sensu afficiebatur, ut lacrymas ubertìm effunderet. Tùm iratus sibi, & ingratum reputans se, flagellis acritèr in sua terga sæviebat; ut scilicèt pro doloribus dolores, pro pœnis pœnas, pro cruciatibus cruciatus morienti Christo rependeret.

Asperrimos Delphinatus, aut superioris Gallo-Provinciæ montes percurrens pauperum villulas alacri animo adibat, eò lætior, quò viliori tecto, ciboque asperiori exciperetur. Tùm in fenili, vèl hyemali tempore, pernoctans, parco, brevique somno usus aut cœlestia meditabatur, aut sacrum Beatissimæ Mariæ Virgininis Rosarium eo affectu recitabat, ut frigoris accerbitatem mentis fervore superaret.

Congregatos sub vesperam pueros, gregumque custodes, Catechistæ fungens officio, fidei rudimentis imbuere nitebatur, suosque hospites vitiis quandòque detentos ad meliorem frugem, piis allocutionibus, non semèl adduxit, eosque pascebat spiritu, in carne pascendus. Sanctissimum Patrem Dominicum imitatus statuta Ordinis jejunia, nèc fessus itinere, solvit.

Cùm verò per cujusvis Civitatis, aut Oppidi vicos fratrum victui necessaria colligeret, capite paululùm inclinato defixis in terram oculis, ac neminem, seclusâ necessitate, allocutus, paucis, ac humilitatem redolentibus verbis, stypem rogare consuevit.

Ubi ubi fuerit Christi bonus odor effectus, alter Antonius passim dicebatur, quodque status sui partes impleret accuratissimè, tanquàm regularis perfectionis exemplum, quod cæteri Conversi imitarentur, ipsum sæpiùs proponebat Servus Dei.

Hic Parisios, Metas, Romam, aut quòvis aliò profecturus Dominicum, ob virtutum insignia carissimum, itineris comitem delegit; occulatus proindè testis fuit mirabilium, quæ vir Dei operatus est, quæque in ejusdem Antonii vitâ gallicè conscriptâ, fusè describuntur. Dominici testimonium eò verius, quò magis abhorreret à mendacio, quemque à leviori noxâ prohiberet conscientia. Perraro pœnitentiæ exemplo, ab ipso Religionis ingressu, asperioris vitæ rationem tenuit. Annos quindecim, nèc interruptè, in pane, & aquâ jejunavit, reliquo verò tempore, cibo tàm parcè utebatur, ut jejunium perpetuum servare videretur; annos octo suprà quadraginta carnibus abstinuit. Herbis, ac leguminibus, ut plurimùm, vescebatur.

Bonis operibus plenus, Deo, quem sempèr optaverat, quemque promereri sempèr studuerat, purgatam animam reddidit septuagenario major, in Conventu Cadenetensi anno 1687 die sextâ Decembris. Corpus ejus in communi Conversorum tumulo, ingenti adstante populo, sepultum fuit.

CAPUT XXV.

Angelus Blanc *à Sanctâ Maria.*

BOnili, quæ Vindascini Comitatus, Diæcesis Aptensis Civitas est anno 1632 die undecimâ Aprilis in lucem prodiit. Viri Dei Antonii à Sanctissimo Sacramento ejusque Discipulorum sanctitatis famâ permotus, Sancti Patri Dominici regulam in laicali statu professus est. Hujus virtutes ipsemet Antonius, gallicè scribendo, in eo, quem composuit Relationum libro, brevi narratione complexus est; narratio- Rel. cap. 42. nem hanc ad verbum latinè interpretor.

Ab ipso novæ professionis exordio, mores ad legum præscripta componens, per omnium virtutum gradus ad sui status perfectionem jam cœpit festinare. Inediæ, algoris, ac vigiliarum patiens, corpori suo novum bellum, novo asperitatum genere intulit, insolitæ pœnitentiæ vir. Flagellis in se adeò acerbè, quatèr, decurrente hebdomadà, sæviebat, ut sanguinis rivuli difluerent, ac post verberationem, vix animi deliquium non pateretur.

Virtute abſtinentiæ inprimis Angelus claruit. Antonii à Sanctiſſimo Sacramento Magiſtri ſui, exemplo roboratus, vino, aut abſtinebat, aut parciciſſimè utebatur. Singulis diebus Sabbati, in pervigilio Feſtivitatum B. Mariæ Virginis, ac ſancti Patris Dominici pane, & aquâ jejunabat, ipſumque diem omnis cibi, & potus expers quandòque duxit. Longiori fatigatus itinere, oblata à ſuperioribus ſolatia modeſtè reſpuebat. Prælatorum voluntati religioſâ anxietate obſecutus, angelicâ caſtitate, ac peculiari in Beatiſſimam Mariam Virginem cultu eximius, ab omni, vèl leviori noxâ vehementèr abhorrens ſempèr elegiſſet potiùs, Deo dilecto emori, quàm offenſo vivere. Horto olitorio excolendo admotus, quæ in ſeculo feciſſet mala, amaro animo deflens, arduam hanc exercitationem pœnitentiæ loco ducebat. Stypem oſtiatìm rogans, contemplationis ſtudio, in Cœlo verſabatur, ut, ſi manus vacuas, plenam tamèn piis affectionibus mentem reportaret.

Nihil Deo eſſe charitate acceptius, quod ſciret, ſingulari in pauperes, ac mendicos miſericordiâ ſemper enituit, eoſque, quoquo poſſet modo, ſublevabat, ſubductum ſibi cibum in eorum alimoniam, ſuperiorum permiſſu, diſpertiri, ac rejectaneas veſtes à ſecularibus obtentas ipſis diſtribuere lætabatur; ut nudos operiret propriis veſtibus ſeipſum libentèr exuiſſet.

Ab emiſsâ profeſſione, anno altero deſinente, colico morbo, ac ſanguinis exſcreatione vexatus, inſignia præbuit heroïcæ patientiæ argumenta; eos, qui vicem ſuam dolerent moleſtè audiens, graviora tormenta promereri conteſtabatur, idcircò quòd, pro eximiâ, quâ pollebat humilitate, intèr peccatores maximum reputaret ſe.

Singulis diebus Dominicis, àc qualibet quintâ feriâ, ſacrâ communione refectus, tanta tùm animi, tùm corporis alacritate perfundebatur, ut in fortitudine cibi illius acutiſſimas alvi torſiones, annos fermè duos pacatâ mente pertulerit.

In Sacrâ Thorenſi Æde noctu orantem, pridiè defuncta Angeli mater proprio nomine vocavit, ejuſque popoſcit ſuffragia. Fratribus divinas preces in Choro, mediâ nocte, perſolventibus, concinnentes Angelos audiviſſe, ipſius Antonii commentaria meminere.

Vicinam mortem præſentiens, admiſſas à puero culpas ſa-

crà confessione expiavit, ac Sanctissimam Eucharistiam pro viatico sumpsit. Ingravescente morbo, repentino casu oppressus, omnium Congregationis fratrum primus obiit, in Thorensi Conventu anno 1655 die quintâ Aprilis.

CAPUT XXVI.

Elzearius Parrét *à Providentia.*

IN perantiquâ Saltuensi Civitate, quæ Saltuensis Comitatus caput est, anno 1643 die octavâ Novembris ortum habuit. Adolescentiam ingressus, paterno agro excolendo admotus est. Quod verò arduo operi non suppeterent vires, magnâ pietatis, ac fidei laude, lanificium fecit.

A pravorum consuetudine, à ludis, ac voluptatibus seculi alienus, divinis officiis, aliisque piis operibus sedulò intentus, frequentiori Sanctissimæ Eucharistiæ usu animam reficiebat.

Antonium de æterno damnatorum cruciatu, Apostolico zelo perorantem cum audivisset, gravi timore perculsus ipsum incunctantèr adiit, & ad ejus pedes provolutus, regularem in Congregatione suâ Conversorum habitum enixè petiit, quodque futuram optimi adolescentis sanctimoniam præsagiret servus Dei, paucis interjectis diebus, ei pro votis fecit.

Nequè Antonium fefellit opinio. Seculari namquè veste depositâ, propriæ perfectioni allaborare fœliciori conatu aggressus est. Quæcumque veteris hominis essent exuere ingenti mentis fervore contendit.

Quantùm porrò lætitiæ, & gaudii hæc Elzearii initia Antonio fecerint, haud dictu facile. Fratrum suorum exemplo animatus arctiori pœnitentiæ novus miles devovit se: verùm, quantùm sibi de corporali cibo, ac potu detrahebat, tantùm spiritualibus animæ deliciis jam tùm reficiebatur.

Perpetuum otio bellum indixit, quodque tempus scitè caperet, sempèr habebat, quid ageret, eumque diabolus sempèr invenit occupatum. Culinam exercere, eleemosinas conquirere, domum scopis mundare, fratrum vestes lavare, hor-

tum ſubigere, omnibus ad officia præſtò eſſe.

Quod juſſus fuiſſet, nihil contrà referebat, quominus faceret; prælatorum mandata, nedùm, præcluſâ omni exceptione, exſequebatur, verùm etiàm, quod maxima obedientiæ perfectio eſt, voluntatem præveniebat imperantis.

Tanta diverſarum occupationum varietate diſtentus, pia, quæ mentem nutrirent, quibuſque Dei amor accreſceret, exercitia non prætermittebat. Orationi, piarumque rerum contemplationi tempus, aut ſomno, aut animi relaxationi addictum inſumebat. Domini noſtri Jeſu Chriſti paſſionis myſteriis adeò afficiebatur, ut ipſi conformis fieri vehementèr optaret.

Voti compos effectus eſt; frequentiori quippè annos duodecim infirmitate vexatus, quoddam martyrii genus paſſus eſt. Tùm aſpiciens in auctorem fidei, & conſumatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, ad propoſitum ſibi præmium, per patientiam currebat.

Secum ab infantiâ cùm creviſſet miſeratio, pauperum neminem ad ſe venientem vacuis manibus abire paſſus eſt; præcipuâ verò ergà infirmos Elzearius præſtabat charitate; cibi, ſomnique prorſùs oblitus, eorum lectis aſſidere, ipſis miniſtrare diligentèr attendebat; ipſis curandis, recreandis, ſublevandis aptiſſimus, afflictum à mœrore animum erigebat, jacentes excitabat, vindicabat à dolore.

Providus admodùm nedùm neceſſaria, verùm etiam dulciora, conſuetos cibos faſtidientibus, procurabat, accerbiora de manu ſuâ gratè accipiebant remedia, ipſi, ut perito Medico, vel Superiori proprio obtemperantes. Eos, qui præ ægritudine moroſi eſſent, aut inquieti, lenis ipſe ad lenitatem revocabat, eorumque querimonias hilari vultu, tranquilâque mente patiebatur; nèc mirùm; charitas enìm, Paulo atteſtante, patiens eſt, ac benigna.

Eadem Chriſti charitate, mortuis ipſis operam ſuam libenti animo tribuens, eorum corpora lavare, veſtire, in pheretro diſponere, per vigilias cuſtodire, ac ſepelire pro magno lucro putabat, grandemque jacturam feciſſe credebat, ſi in his miſericordiæ operibus ab alio fuiſſet præventus.

Totam vitam in adimplendis ſtatus ſui partibus, ſine querela, & diſſidio cum laudabilitèr inſumpſiſſet, anno 1699 die pri-

mâ Decembris, diuturnâ ægritudine exhaustus, ad cœlestis vitæ gaudia pervenisse creditum est.

CAPUT XXVII.

Stephanus Sylvestre *à Puero Jesu.*

IN eo Niceænsis Comitatus, ac Diæcesis Glandevensis Oppido, quod vocant *Lés Cros* anno 1628 die ultimâ Decembris, parentibus perantiquâ pietate conspicuis in lucem editus est.

Intèr Serenissimi Sabaudiæ Ducis (nùnc verò sardiniæ Regis) milites coactè descriptus, annos tres militiam gessit neminem concutiens, nemini calumniam faciens, contentus stypendiis suis.

Obtentâ dimissione, ac Joannis Dalmassy civis sui exemplo, & virtutum famâ permotus, spiritualis ineundæ militiæ iniit sententiam, assumptoque in Thorensi Domicilio Conversorum habitu, eductum de domo servitutis peccati in libertatem gloriæ filiorum Dei reputavit se.

Eâ animi firmitate corpori suo, velut hosti infensissimo, ipsis rerum primordiis, bellum denun ciavit, eoque fervore quæ mundi sunt, è corde suo divellere nitebatur, ut ad propositam novi status perfectionem, brevi perventurum Antonius Congregationis institutor ominaretur.

Quod Deum serò cognoverit, ut alter Augustinus, vehementèr dolebat, pravos seculi mores, Dæmonis præstigia, animarum laqueos, ac innocentiæ scopulos vocabat, Mulierum colloquia, eâ dexteritate declinabat, ut nullam quantùmvis nobilem, aut pietate præstantem exciperet, nisi præcesserit Prælati auctoritas & imperium.

Annos viginti Questoris officio, tùm æstivo, tùm hyemali tempore perfunctus, socium inediâ, aut longiori itinere fatigatum, ad majores subeundos labores festivè adhortabatur. Quæ, inquit, absentes Domo, spiritualia patimur detrimenta, R.R. Patrum orationibus, concionibus, àc sacrificiis, quorum sumus participes, abundè compensantur. Clerici spiritualibus, conversi verò corporalibus exercitiis, si

rectè omnia fiant, æternam ſalutem obtinebunt. Ut in libro de Imitatione Chriſti me legiſſe memini aiebat, melior eſt humilis ruſticus, qui Deo ſervit, quam ſuperbus Philoſophus, qui, ſe neglecto, curſum cœli conſiderat.

Quod mirùm cuipiam fortaſſè videatur. Metendo temporalia, ſpiritualia, ſuo modo, diſpatiri Stephanus ſatagebat; inſolito namquè actus ſalutis animarum ſtudio, peccatores revocare à vitiis, ruricolas fidei elementa edocere, Beatiſſimæ Mariæ Virginis cultum promovere contendebat; quo factum eſt ut plures, vèl ſceleſtiſſimos, ad pœnitentiam adduxerit, ignaros in his, quæ fidei ſunt, peritos fecerit, àc multis in locis ſacrum Roſarium, aut publicè, aut privatìm quotidiè recitetur. Intèr montana verſatus, nedùm vir ſanctus dicebatur, verùm etiàm concionatoris nomen obtinuit. Villularum incolæ ſub veſperam veniebant ad eum, ſalutis monita audituri.

Inſtituti ſui legum obſervantiſſimus, unum ex his iota, aut unum apicem non eſt prætergreſſus. Communibus auſteritatibus non contentus, tres cujuslibet hebdomadæ dies in pane & aquâ jejunabat, diriſſimis flagellis, cilicio, ferreo cingulo carnem domabat, vigilias orando protrahebat. Rectè novit vivere, quia rectè novit orare.

Noctes in Eccleſiâ, antè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum genuflexus, aut ducebat inſomnes, aut Altaris ſuppedaneo innixus paululum quieſcebat; edictum in ſacris Conſtitutionibus ſilentium perquàm accuratè ſervans, nutu, & ſignis, ubi verborum deeſſet neceſſitas, loquebatur; nequè enìm fieri poteſt, inquit, ut loquacitatem non comitetur peccatum.

Extrà Clauſtrum degens, nihil de conſuetis abſtinentiis, orationibus, corporiſque afflictationibus remittebat, nèc labore continuo à jejunii lege ſolutum putabat ſe; eò mirabilior agendi ratio, quod de Oppido in Oppidum, de villulâ in villulam pertranſiens, gravi collectarum pondere gravatus, quandòque incederet.

E longioribus, ac difficillimis excurtionibus redux, nullumque internæ recollectionis detrimentum paſſus, neglectâ de fatigati corporis requie, nullaque diſpenſatione, quâ viatores cæteri, cùm ad propria redierint uti ſolent, corpus

laboribus fessum exercebat hortum subigendo.

Senio tandèm Domi detentus, pauperum, ac rudium institutioni, quòad per statum liceret, consulere non destitit; eos, qui sibi in Questoris officio successerant Conversos enixè deprecabatur, ut animas Christi sanguine redemptas, tùm bono virtutum exemplo, tùm piis allocutionibus diligentèr curarent. Superioribus pronus supplicabat, ut, qui de divinis ad populum dicerent, frequentèr mitterentur. Juniores Concionatores passim hortabatur, ut commissi ministerii partes, omni curâ, ac sollicitudine adimplerent. Ipsemet ad Conventus januam quotidiè, statutâ horâ, eleemosinas distribuens, ut in SS. Sacramenti Congregatione invaluit consuetudo, catechistæ functus officio rudem plebeculam primis christianæ fidei præceptis informare nitebatur.

Cordis humilitatem adeò coluit, ut abjectissima quæque spontè obiret Conventus ministeria, proprios cuique defectus manifestaret, àc intèr peccatores maximum diceret se, crederetque; quòdque ab omnibus contemni desideraret, majori non afficiebatur gaudio, quam si gravem injuriam, aut contumeliam pateretur.

Sanctæ paupertatis amicus, intèr cibos vilioribus, intèr vestimenta asperioribus, ac rejectaneis libentèr usus, quæ refectis fratribus superaverint fragmenta, in proprium usum assumebat; vini, aut olei si quid effuderit, aut vas aliquod fregerit, tanto mentis gaudio, vèl ab ipsis junioribus, emendationem audiebat, ut fœlices Stephani culpas dicere omnes cogerentur. Fratrum suorum vitia cautè celabat, si verò Patuissent, insolitâ charitate excusabat.

Variis subindè infirmitatibus, quæ curationem non admitterent gravatus, nè levi quidèm gemitu, aut suspirio quem patitur dolorem ostendit; hilaris ipse dat cæteris lætitiam; non aggravatur animus, nèc à pristino fervore recedit; implacabilis sui hostis spontaneis pœnis torquet se.

Has Superiorum jussu moderari coactus, ad sui cruciatum solers, in ipsis sibi exhibitis solatiis jugi pœnitentiæ locum dabat; nedùm quadragesimali cibo utebatur, verùm etiam Patriarcham Dominicum imitatus, statuta jejunia, nèc æger solvebat.

Qui à suscepto regulari habitu, otio, ut prædictum est,

bellum perpetuum indixerat, nullam habebat à labore vacationem; pedem quamvis movere non posset nisi baculo innixus, diversa obibat Conventus munia, ac persolvendis quotidiè B. Mariæ Virginis, ac Sancti Angeli Custodis officiis, nècnon recitando tèr, vel etiam quater ejusdem Virginis Rosario, sat supererat temporis, divinarum rerum meditationi vehementèr addictus, Deique semper memor, magnoperè delectabatur; multis prætereà gratiis, favoribus, illustrationibus, ac internâ mentis suavitate, quæ corporis molestias deliniret, plerùmque afficiebatur; intèr orandum, vultum ejus supero fulgore radiantem Archangelus *Gabriel* Cadenetensis Prior, aliique benè multi non semèl conspexere.

Optatissimâ tandèm donatus est gratiâ hac, ut morte martyrio persimilì, è corporis ergastulo solveretur: ut ampliori coronâ dignus fieret, percussit eum Dominus plagâ pessimâ, adeò ut à planta pedis usquè ad verticem capitis non esset in eo sanitas; accerbissimis, quos solitâ patientiâ pertulit, doloribus confectus, pièque susceptis Ecclesiæ Sacramentis sanctè obiit in sinu Abrahæ collocandus anno 1699 die octavâ Decembris.

Propalatâ Stephani morte è Cadenetensi Oppido effusè Cives exeunt, turmatìm accurrunt alienigenæ demortuo parentaturi. Hujus exequias Illustrissimus Andreas *d'Oraison* Dominus *de Cadenet*, ejusque Germanus frater Franciscus Ludovicus Melitensis Ordinis Commendator, quippèqui servi Dei Sanctitatem benè noverant, cohonestarunt.

Pia tùnc inter adstantes contentio facta est; alii namque defuncti corpus tangere, ac deosculari, alii vestes discerpere, earumque particulas asportare, ardentiori studio curarunt.

Stephani vitæ historia, fusiori narratione à R. P. Archangelo *Gabriel* gallicè conscripta, anno 1701 Parisios missa est, Annalibus Ordinis inserenda. Hanc pro modulo nostro latinè contraximus.



CAPUT XXVIII.

Isidorus Liotaud *à Sancto Dominico.*

QUæ de Isidoro dicenda veniunt, è diversis Antonii à Sanctissimo Sacramento operibus, gallico idiomate manuscriptis, collecta, sequenti epitome continentur.

Insula, quam percelebris, & abundans alluit Vallis clausæ fons, Vindascini Comitatus, Pontificiæ ditionis amæna, ac locuples Civitas est. Ibi anno 1622 die undecimâ Julii, parentibus minutæ mercis mercatoribus natus est. Piæ indolis ac animam bonam sortitus adolescens arctioris pœnitentiæ, vel in seculo tirocinium posuit. Sui status homines, ut vitia fugerent, àc, quæ Christianum decent virtutes sectarentur piis colloquiis adhortabatur. Qui temerè, aut falso juraverint liberè coarguebat, nèc eorum, qui molestè ferrent, injuriis, aut conviciis offendebatur. Feriâ quintâ in Cœna Domini, ablutis duodecim pauperum pedibus, eisdemque pauperibus prandio acceptis labore manuum acquisitæ pecuniæ partem libentèr impendebat. Eam tenebat vitæ rationem, quam omnes laudarent, optimoque civibus suis esset exemplo.

Novemdecim annos natus, suscepto Conversorum habitu, ac sanctioribus Antonii disciplinis eruditus uberes ad regularem perfectionem fructus retulit. Novitius flecti facilis, ac virtutis cupidus Magistrum audiebat, eumque studebat imitari, adeò ut cognito Novitio, qualis esset Magister, facilè quisquis dignosceret.

Nondùm emissa professione piissimum Institutorem Romam secutus, non pauca præbuit patientiæ, ac humilitatis exempla. Parisios deindè profectus Ludovicum decimum tertium Galliarum Regem adiit, ut pro nupèr institutæ congregationis incremento commendatitias litteras apud ejusdem Principis Oratorem, Romæ degentem, obtineret. Singularem Isidori simplicitatem, ac modestiam admiratus Rex optimus, postulatam gratiam benignè concessit.

Verùm in tot perturbationibus, dimisso regulari habitu, eo scilicèt animo, ut eum, factâ tranquillitate, resumere, paternos

paternos lates regressus, orationi, jejunio, aliisque piis exercitationibus totus intendens, Domi continebat se, ac perrarò veniebat in publicum. Monachum, non de populo unum dixeris.

Redditâ tandem Thorensi Domo, Antonium incunctantèr adiit, ab eoque iterùm regulari veste donatus, ac triennali functus tirocinio, Deoque nuncupatis solemnibus votis, verbo, & exemplo cæteris fratribus mirificè profuit.

Vocationis suæ memor, ac laboris amans, quæ conversum decent diligentissimè curabat, opere rustico attritas manus pro peccatorum conversione, ac totius Ordinis incremento, brevi adjunctâ oratione, hortum excolendo, ad Cœlum sæpiùs attollebat. Somno se permittebat brevissimo. Actiones suas omnes promptiori obedientiâ metitus, vèl leve Superioris signum habebat pro præcepto, eorum nutu, & arbitrio agebat omnia. Sanctissimum Nomen Jesu cordi arctiùs impressum, ac pio in Deum animo sæpiùs repetitum, exercitatos Isidori reparabat sensus, vegetabat bonos mores, castas fovebat affectiones. Secundam Sanctissimi Rosarii partem, quæ præcipua Dominicæ Passionis mysteria exibet, gravi mœrore affectus nunquàm recitabat sine lacrymis; in divinis apprimè versatum quis dixerit, quamvis esset litterarum planè rudis. Eâ in admissis culpis pœnitentiâ tangebatur, ut Dei judicia continuò pertimesceret; ità tamèn, ut, Antonio adhortante, nimium timorem fiducia minueret. Frequens ipsi fuit cum Dæmone, horribili formâ apparente, colluctatio. Vèl noctu dormiens, in peccatores, & hæreticos invehebatur eâ vi, ut vicini fratres disceptantem audirent.

Continuâ febri, nervorum contractione, ac hydropisi affectus, Beatissimæ Mariæ Virginis Litanias alacritèr decantabat, additis hiscemet verbis *ad cœlestem Patriam vado, ad optimum Patrem ibo.*

Dolores accerbissimos mensibus octo patientissimè passus, prænunciato mortis die, vitam Sanctissimè actam beato fine complevit. Antonius à Sanctissimo Sacramento, cui ob insignes virtutes fuerat semper carissimus, Saltum cum advenisset, sacram Ædem ingressus, ac supèr defuncti tumulum genuflexus, non Psalmum *De profundis*, ut assolet, sed Canticum *Te Deum Laudamus* recitavit. In Oppido *de Lagnés.*

Deum Isidori precibus vinum multiplicasse memoriæ proditum est. Ipsum cœlesti gloria perfrui, eidem Antonio per visum fuisse præmonstratum, perhibetur.

CAPUT XXIX.

Fœlix Brun *à Sancto Antonio.*

PAtre Hugone *Brun*, Matre verò Mariâ *Brun* piis parentibus in Oppido *de Toudon*, Comitatus Nicæensis anno 1648. die decimâ-tertiâ Maii natus est.

Jam tùm à puero eximiam mansuetudinem, ac pietatem præ se ferens, non levem apud cives suos futuræ sanctimoniæ concitavit expectationem. Pubertatem verò eggressus, ac primis litterarum rudimentis imbutus, paterni gregis custodiæ addictus est.

Annos circitèr septem ruri commoratus, oratione, piisque lectionibus fundamenta jecit vitæ sanctioris; ab hominum convictu seggregatus perutilem, dulciora cum Deo misendi colloquia, iniit consuetudinem. Undiquè sylvæ, ac solitudo, avium cantus, ipsumque illud silentium, magna fuere adolescenti piarum meditationum incitamenta.

Spiritu Sancto interiùs edocente, Dei providentiam demiratus, de tot inhumanum genus collactis beneficiis gratias agebat; ovium mansuetudo Domini Nostri Jesu Christi mansuetudinem ipsi in mentem revocabat, ac in ipsis insidiantis lupi fraudulentiis, mali Dæmonis in animarum perniciem astus verebatur. Ibi regularis status tirocinium quodammodò posuit, ac rigidiori pœnitentiâ corpus suum in servitutem redigens animam à lethali peccato immunem servavit. Sancti Petri Apostoli Sacellum, in eâdem regione positum, vèl noctu, ac hyemali tempore frequentèr adibat oraturus.

Hunc in modum adolescentiâ consumptâ, cum annum ageret tertium. Suprà vigesimum, quò arctius Christo conjungeretur, ac æternam animæ salutem in tuto poneret, Ordinem Sancti Patris Dominici amplexus est, susceptoque Conversorum habitu, ad religiosæ vitæ perfectionem pervenire sedulo nitebatur.

Sacra præsertim Dominicæ passionis mysteria, tanto mentis affectu meditari consueverat, ut in eisdem contemplandis corde compunctus, maximam lacrymarum vim sæpiùs profunderet. Proximorum æternam salutem vehementèr exoptans, preces, jejunia, cæterasque corporis afflictationes pro peccatorum conversione offerebat. Bis, vel etiàm tèr quâlibet hebdomadâ, sacrâ communione refectus, ampliori in Christum amore, ac reverentiâ donatus est.

Quòd multiloquium raro absque peccato sit, silentium omni plerumque Sermone præstantius, perquàm accuratè, servans, à vaniloquiis, ac curiosis inquirendis sempèr abstinuit. Injurias, & convicia tacendo potiùs, quàm respondendo superabat, nec, vir rectus ac simplex fraudulentèr agere pœnitùs ignorans, technis ad fallendum unquam usus est.

Qui castitatem imprimis coleret, vel levem hujusce virtutis maculam perhorrescens, ubi adessent fœminæ nisi gravi urgente necessitate, non apparebat; tùm, sensuum custodiæ advigilans, brevi sermone utebatur.

Fœlici annis quatuor cum fuerim à confessionibus, ipsius animi candorem, cordis humilitatem, àc innocentiam sum admiratus. Levioris admissæ noxæ adeò pœnitebat, ut corde compunctus in uberes lacrymas erumperet. De piaculi pœnâ quod levior esset, conquerebatur. Quæ spirituali profectui, aut æternæ acquirendæ saluti prodessent consilia, grato libentique animo excipiebat.

Ut semèl mundo nuncium remiserit, nèc patriam adiit, nèc parentes invisit. De civibus suis quispiam si advenisset, res novas non exquirebat, nèc spontè nunciatas libentèr audiebat à curiositate alienus. Parentum negotiis implicari vitium putabat.

Quod præ nimiâ timiditate stypi colligendæ non esset idoneus, Culinam, ut plurimum, exercebat. Huic addictus muneri, charitate, patientiâ, munditie, vèl etiàm silentio, ac mentis recollectione præstare visus est. Ut ipsi Christo, fratribus suis serviens, prandii reliquias in proprium cibum assumebat.

A teneris annis Dei-paræ Virginis potenti patrocinio commiserat se, eamque ruri degens, præcipuo cultu venerabatur;

regularem verò ſtatum profeſſus, eumdem cultum, nedùm continuavit, verùm etiàm auxit. Singulis Sabbati diebus, ac in ejuſdem Beatiſſimæ Virginis feſtivitatum pervigilio, vèl ætate longævus, ſedens in terrâ jejunabat pane & aquâ contentus. Antè Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, aut meditando, aut Sacrum Roſarium recitando, vigilias longiùs protrahebat.

Ex virtutis præſcripto vitam cùm peregiſſet, expletiſque accuratiſſimè ſtatus ſui muniis, ſeptuagenario major, lethargiâ ſopitus, obdormivit in Domino in Thorenſi Conventu anno 1721 die trigeſimâ Januarii.

FINIS.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

INDEX

LIBRI SECUNDI.

INDEX

LIBRI TERTII.

Finis Indicis.